E. III
16/5

OBSERVATIONES
ANATOMICO-
PATHOLOGICÆ.

ED. SANDIFORT,

ANATOMES ET CHIRURGIÆ IN ACADEMIA BATAVA,

QUÆ LEIDÆ EST, PROFESSORIS,

OBSERVATIONES ANATOMICO-PATHOLOGICÆ.

LUGDUNI BATAVORUM,

APUD P. v. D. EYK ET D. VYGH,

M D C C L X X V I I.

KONINKL. BIBLIOTHEEK TE SHAGE.

K. B.

WELLCOME
HISTORICAL
MEDICAL
LIBRARY

VIRIS

PERILLUSTRIBUS ac GENEROSIS

ACADEMIÆ BATAVÆ CURATORIBUS

JACOBO PHILIPPO BARONI DE BOETZELAAR,

TOPARCHÆ IN NIEUVEEN, &c. &c. &c.

ORDINIS EQUESTRIS NOBILIUM HOLLANDIÆ, NEC NON DELEGATORUM HOLLANDIÆ MERIDIONALIS ORDINUM PRIMO, &c. &c. &c.

PETRO VAN BLEISWYK, J.U.D.

A.L.M. PHIL. DOCT. ILLUSTRISSIMORUM ET PRÆPOTENTIUM HOLLANDIÆ ET WESTFRISIÆ ORDINUM CONSILIARIO ET SYNDICO SUPREMO, MAGNI PROVINCIÆ SIGILLI CUSTODI, SUPREMÆ CURIÆ FEUDALIS PRÆSIDI, EJUSQUE TABULARII PRÆFECTO, &c. &c. &c.

GULIELMO HUYGHENS, J.U.D.

DOMINO IN HONCOOP, CIVITATIS AMSTELÆDAMENSIS SENATORI ET CONSULARI, AD COLLEGIUM REI MARITIMÆ, QUOD AMSTELÆDAMI CONVENIT, DELEGATO, SOCIETATIS INDIARUM ORIENTALIUM MODERATORI, &c. &c. &c.

NEC NON

EORUM COLLEGIS

VIRIS *NOBILISSIMIS* *ATQUE* *AMPLISSIMIS*

CIVITATIS LEIDENSIS CONSULIBUS.

HENRICO VAN BUREN, J.U.D.

CONSULUM PRÆSIDI, AGGERUM, VIARUM ET AQUARUM IN RHENOLANDIA CURATORI.

JACOBO HEYNS, J.U.D.

ADRIANO CRUCIO, J.U.D.

THEODORO SCHREVELIO, J.U.D.

UT ET

QUI SPLENDIDISSIMI HUJUS COLLEGII ACTA CURAT

VIRO *GRAVISSIMO* *ATQUE* *CONSULTISSIMO*

JANO VAN ROYEN, DAV. FIL. J.U.D.

CIVITATIS LEIDENSIS CONSILIARIO ET SYNDICO.

HAS OBSERVATIONES.

D. D. D.

EDUARDUS SANDIFORT.

PRAEFATIO.

Quo quis ſaepius Corporis Humani fabricam perluſtrat, quo pluries morborum ſedes atque cauſas in demortuis hominum corporibus inveſtigat, eo frequentior ſeſe ipſi offert occaſio, talia videndi, talia detegendi, quae vel ſanum vel morboſum corporis ſtatum illuſtrare valent. Factae autem tali modo, a peritiſſimo quamvis viro, obſervationes parum juvant poſteros, ſed manet hos eadem, quae urſerat priores, ignorantia, ſi, ut ſaepiſſime fit, neglectæ inter relictas chartas pereunt atque ſepeliuntur. Datur tamen ad maximum hoc artis incommodum, ſuadente jam Boerhavio, unicum illudque optimum remedium, ſi nempe nova prorſus atque omnino ſingularia, quae quis obſervaverit, ipſe evulget. Hoc monito incitati plurimi ſuas annotationes in maximum artis emolumentum divulgarunt, &

tum

tum Phyſiologiae, tum Pathologiae, ac proinde toti Medicinae magnam adfuderunt lucem. Horum ſcopum, utiliſſimum ſane, promovere jam antea omni ſtudio conatus ſum, divulgando & omnium captui accommodando cuncta, quae, per totam ferme Europam publicata, arti ſalutari proficua duxi (*). *Horum exemplum in poſterum ſequar, communicando & figuris illuſtrando, quaecunque notatu digna mihi occurrant.*

Quum enim quotannis inſignem cadaverum numerum anatomico cultro ſubjicere ſoleo, ut pulcherrimam, & omni admiratione dignam, Noſtri Corporis fabricam, ſapientiae Divinae teſtem, Publice & Privatim oſtendam, ac prae-

(*) Titulo Natuur- en Geneeskundige Bibliotheek, cujus libri ab anno 1765 ad 1775. decem volumina praeter indicem prodierunt; & Theſauri Diſſertationum, Programmatum, aliorumque Opuſculorum univerſum Medicinæ ambitum illuſtrantium, cujus tertium volumen prelo jam ab aliquo tempore eſt commiſſum.

praeterea Auditores doceam, quomodo cadavera ſecare debeant, ut demum vel apti anatomici evadant, vel in uſus forenſes exanimata corpora rite examinent, vix aliter fieri poteſt, quin multa occurrant, unde & Anatomici & Pathologi utilitatem haurire queant. Haec oſtenſa, haec adnotata atque depicta, ſervare, blattis tineisque relinquere, munus Doctoris Academici, quippe ſuo officio tanto melius fungentis, ſi Auditoribus quicquid ſciat fideliter tradit, ab oblivione autem eripit, quod ulteriorem uſum habere poſſe credit, vetare videtur; ex fideli econtra illorum communicatione magnum redundat emolumentum, immo hoc majus redditur, ſi via ſimul monſtratur, quam ingredi debent, qui de eodem argumento, quid alii notaverint, ſcire cupiunt.

Agnosco difficultatem, quae datur in paranda unica, ſimplici ſed bona, figura, ſcio autem, & mecum ſentient omnes boni, figuras, quamvis artis ſubtilitate aliis cedentes, uti-

les eſſe, artemque tum Anatomicam tum Medicam promovere, modo cum objecto conveniant, eaque, quae oſtendere quis voluerit, ex illis facile intelligi poſſint.

Quemadmodum autem haecce difficultas memet ab opere dehortari non valuit, ſic ſumma, quae hodie datur, cavillatorum copia, qui omnia, quae ſua aut ſuo conſilio facta non ſunt, non modo non laudant, ſed maxime vituperant, me non magis deterruit, quam Philoſophum atque Medicum Mediolanenſem Biumi, cujus verba his de hominibus, praefationi Obſervationum Anatomicarum inſerta, memoratu digna videntur. „Exſtant, inquit, homines moleſti, qui nimis ſevere aliorum ſcripta prae ſe contemnunt, rudia, indocta, barbara putant, de ſuis tantum ipſi rebus ſplendide, & praeclare, non ſentiunt modo, ſed praedicant. At quid ego horum voculas pertimesco, quaſi vero nunquam adhuc ex ejusmodi obtrectationibus ſcriptores evaſerint. Utinam iſti aperte nudarent

rent animos, & non in cœtibus conciliisque ſcriptores perſtringerent, ſed editis libris ſana multiplicique doctrina inſtructis, eos redarguerent. Sed Dii meliora!".

Mitto itaque nunc in lucem Obſervationes nonnullas Anatomico-Pathologicas, alias, favente his conaminibus Summo Numine, de tempore in tempus communicaturus, & Summi Albini veſtigia, exemplumque, quod in Annotationibus Academicis dedit, e longinquo licet, ſequuturus.

Conſtitueram primo loco tabulas uteri gravidi, publice a me diſſecti, dare, & quaecunque hoc in corpore notatu digna vidi, enarrare, ſed mutavi conſilium, mox ac caſus, primo capite enarratus, mihi obvenit, qui talis viſus eſt, ut ſtatim communicari mereatur; rariſſimam enim, niſi vehementer fallor, mecum hanc obſervationem dicent omnes, & gaudebunt, virum ſpectatiſſimum, Jacobum van Noort, Patrem infantis, de utilitate artis noſtrae convictum, & probe perſpicientem, quantum emolumenti in poſteros re-

redundare poſſit, ſi incogniti praeſertim morbi, qui vivente aegro vel principum in arte virorum ingenia fruſtra fatigaverat, natura in cadavere quaeratur, exhortante etiam lectiſſima Conjuge, non permiſiſſe tantum, verum etiam rogaſſe, ut veram mali, quod ab ipſa ferme nativitate, a ſecundo ſaltem ætatis anno, infantem vexaverat, cauſam atque ſedem in cadavere quaererem, atque ſic aliis laudabile admodum dediſſe exemplum.

Huic ex magno obſervationum, quae ad manus eſt, numero alias varii argumenti, majoris minorisve momenti (in his etenim etiam principem Albinum ſequar) adjunxi; in quibus elaborandis ſic ſui verſatus, ut ea, quae vidi, non ſolum enarraverim, verum etiam breviter indicaverim, quid ſimili de materia adnotarunt varii, quum enim praeſertim in Auditorum uſum laborem hunc ſuſcepi, & tales annotationes, & aliae etiam animadverſiones, erant addendae, quae, ſi hic ſcopus meus non fuiſſet, forte potuiſſent omitti.

* * *

E D.

ED. SANDIFORT,
OBSERVATIONES
ANATOMICO-PATHOLOGICÆ.

CAPUT PRIMUM.

De rariſſimo cordis vitio.

Diagnoſin multorum morborum eſſe difficillimam, unanimi conſenſu adfirmant Practici, probant obſervata eorum, qui, cadaveribus anatomico cultro ſubjectis, tales morborum cauſas atque ſedes detexerunt, quas vel peritiſſimi ne conjectura quidem aſſequi potuiſſent; tantum enim diſtat, ut omnes omnino morbi, quoad cauſas, quoad ſedes, cogniti atque perſpecti ſint, ut potius cum Boerhavio agnoscere debeamus, multiplex atque varium, qui corpora adfligunt humana, morborum inge-

 nium,

nium, a pluribus jam ſeculis obſervatum, deſcriptumque haberi, neque tamen, acri profecto & annoſa hacce diligentia, omnem eorum exhauriri usque potuiſſe diverſitatem, unde quidem efficitur, tales ſemper ut accidant novi, quibus tunc cognoscendis nullum ſatis ſubtile judicium medico ſit, ut habeat ille & adferat artis præceptis recte formatum animum; imo vero cauſæ ambiguum latentis, affectique incertum loci, hærere jam, qui alias in perſpiciendis ſanandisque laudem invenerat (*a*).

Tanta ſi adeſt difficultas in cognoscendis plurimis morbis, varias corporis partes adfligentibus, non minor certe imo multo major ſeſe offert, quoad morbos Pectoris; de his enim ſummo jure dicere poſſumus, quod de adfectibus pulmonum profeſſus eſt Baglivus (*b*). O quantum difficile eſt, curare morbos pectoris! O quanto difficilius eosdem cognoscere, & de iis certum dare præſagium! Fallunt vel peritiſſimos ac ipſos Medicinæ Principes! Et non raro robuſtiſſimos homines, ſanitatem ipſam ſpirantes, in negotiis ſtrenue ſusceptis, ſermonumque hilaritate, inopinata morte abripiunt, aut illos, quibus ægritudo quædam remotiorem mortem minari vide-

(*a*) Atrocis nec deſcripti prius morbi hiſtoria. Opuſc. pag. 98.
(*b*) Prax. Medic. lib. 1. cap. 9. pag. m. 34.

debatur, repente, tanquam fulmine ictos, e medio tollunt (*c*).

Aſſerti hujus veritas ſi auctoritatibus, ſi obſervationibus eſſet comprobanda, quantus exemplorum numerus in auxilium vocari, quanta auctorum copia citari poſſet! Cordis, ejusve auricularum, enormes expanſiones (*d*), eroſiones (*e*), rupturæ (*f*); venæ

(*c*) Mummſen de corde rupto pag. 3.

(*d*) O. Heurnii Hiſt. & Obſerv. rar. Oper. Fernelii adnex. pag. 26. Pachioni Opera pag. 211. 214. Fantoni Obſerv. Anat. Medic. 7. 19. 22. 29. 34. Meckel Hiſt. de l'Acad. de Berlin 1750. art. 5. Morgagni de ſed. & caus. morb. epiſt. 18. art. 4. Lanciſius de ſubitaneis mortibus Oper. var. Tom. 1. pag. 46. 48. De Haen rat. med. vol. 1. pag. 251. vol. 2. pag. 143. edit. Leid. Rat. Med. cont. Tom. 2. part. 2. pag. 14. edit. Vienn.

(*e*) Fantoni Obſerv. Anat. Medic. 16. 22. 28. Blancardi Anat. Pract. pag. 94. 169. 202. Conf. cap. 2. not. (*f*).

(*f*) Auriculam dextram cordis ruptam vidit Ludwigius Adverſ. Med. pract. vol. 1. pag. 134. Eandem foramine magno hiantem conſpexit Peterſen Abhandl. der Schwed. Akad. Band. 26. pag. 322. Quæ obſervatio etiam legitur in Geneesk. Verhandel. aan de Koninglyke Sweedſche Academie medegedeeld III. D. pag. 226. Quæ a cariſſimo Fratre, Polyatro Hagano, in lucem mittuntur. Dextrum ventriculum ab eroſione ruptum Lemery, in ſectione Viduæ Ducis Brunswicenſis ab eo inſtituta, deprehendit. Mem. de l'Acad. des Sciences 1732. pag. 428. Eundem (non ſiniſtrum ut habet Morgagni de ſed. & caus. morb. epiſt. 27. art. 10.) ventriculum media parte convexæ faciëi fiſſum in Georgio II., potentiſſimo magnæ Brittanniæ Rege, invenit

næ cavæ laceratio (*g*); venæ pulmonicæ monſtroſa dilatatio (*h*); aörtæ vaſorumque majorum oſſificationes (*i*) anguſtationes inſignes (*k*), tumores ſteatomatoſi (*l*), eroſiones (*m*), aneurysmaticæ dilatationes (*n*), disruptisque iis ſanguinis in cava profuſio-

venit Nichols. Philoſoph. Transact. vol. 52. part. 1. pag. 265. Uitgez. Verh. IX. D. pag. 352. Eundem ruptum notarunt Medici Wratislavienſes. Bresl. Samml. 1723. pag. 516. Hazon Journal de Medecine Tom. 9. pag. 516. Siniſtrum ventriculum ab eroſione ruptum conſpexerunt Morand Mem. de l'Acad. des Sciences An. 1732. pag. 428. Harvæus Exercit. de circulo ſanguinis Tom. 1. pag. 149. Bohnius de renuntiatione vulnerum Sect. 1. pag. 63. Morgagni de ſed. & caus. morb. epiſt. 26. n. 8. epiſt. 64. n. 15. Conf. Mummſen de corde rupto.

(*g*) Lanciſius Oper. Var. Tom. 1. pag. 55.

(*h*) Hildanus Obſerv. Cent. 2. obſ. 99.

(*i*) Vieuſſens traité ſur la ſtructure du cœur. pag. 109. Senac traité de la ſtructure du cœur. Tom. 2. pag. 433. Lanciſius de motu cordis & aneurysmatibus Oper. var. Tom. 2. pag. 250.

(*k*) Meckel Mem. de l'Acad. de Berlin an. 1750. art. 5. 1755. obſ. 17.

(*l*) Stentzelius de ſteatomatibus, in principio arteriæ aörtæ repertis pag. 10.

(*m*) Act. Medic. Berol. Dec. 1. vol. 8. pag. 86. Morgagni de ſed. &c. Epiſt. 26. art. 7. 17. Epiſt. 27. art. 28. Weitbrecht Comment. Acad. Petrop. Tom. 4. pag. 263.

(*n*) Conf. optimi olim noſtri Discipuli, nunc medicinam ſummo cum applauſu Delphis facientis, Verbruggen, Diſſertatio de Aneurysmate pag. 84. ſeq. ubi ſpeciatim de aneurysmatibus aörtæ, a plurimis

fuſiones (*o*); valvularum degenerationes (*p*); tumores viscerum thoracicorum actionem impedientes (*q*); œſophagi ruptura (*r*), quæ omnia, viventibus ægris, varia produxerant mala, quorum cauſas ne peritiſſimi quidem medici ulla arte divinare potuerant, abunde oſtendunt, inſignem affectuum, quibus aut pulmonum aut cordis actio, ad vitam ſanitatemque adeo neceſſaria, læditur, turbatur, impedi-

rimis deſcriptis egit, & ſimul notabilem caſum, variis figuris illuſtratum, addidit. Deſcripſi & ipſe hunc morbum in Verhandeling over eene ſlagaderbreuk in de groote ſlagader, & in Nov. Act. Acad. Nat. Cur. Tom. 4. pag. 20.

(*o*) Morgagni de ſed. &c. Epiſt. 17. art. 14. Epiſt. 26. art. 5. 15. 19. 21.

(*p*) Vidit ſæpius Hallerus valvulas tricuspidales totas craſſas obriguiſſe, neque a ſuis musculis regi, aut a ſanguine, de corde expresſo, inpelli potuiſſe. Elem. Phyſiol. Tom. 1. pag. 333. Duras, per fila oſſea unitas, parietibus cordis applicatas, Senacus conſpexit. Traité de la ſtructure du cœur. Tom. 2. pag. 433. Valvulas orificii venoſi ſiniſtri cordis oſſeas notavit Vieuſſens Traité ſur la ſtructure du cœur. pag. 102. Illas, quæ in principio arteriæ aörtæ dantur, oſſea duritie inſignes memorant Vieuſſens lib. cit. pag. 107. 109. Haller lib. cit. Tom. 1. pag. 347. J. C. Themeln Sammlung kleiner ungedruckter Ober-Ertzgebürgiſcher Schriften. 2. ſt. pag. 75. Meckel Mem. de l'Acad. de Berlin 1755. Conferri merentur, quæ ſequenti capite de valvularum degenerationibus notantur.

(*q*) Boerhaave Opuſc. pag. 111. ſeq.

(*r*) Idem lib. cit. pag. 98. ſeq.

ditur, numerum eſſe, quorum cauſæ, latent, laterentque ſemper, niſi cadaveris ſectio inſtitueretur (*s*). Sed ne-

(*s*) Conſtitit hoc etiam paucos ante menſes hac in urbe, quum Anatomico cultro ſubjiciebatur cadaver viri, variis ſymptomatibus vexati. Cujus diſſectionis hiſtoriam, licet ipſe, aliis negotiis occupatus, intereſſe non valuerim, tanto magis hic loci inſerendam eſſe duxi, quoniam tanta Celeb. Ooſterdyckii, collegæ honoratiſſimi, fuerit humanitas, ut ea omnia, quæ de vita, morte, & viſis in cadavere memoranda ſint, ſequentibus verbis mecum communicare ipſi placuerit.

„ P. H. vir annorum 46 querebatur, ſe jam inde a menſibus circiter ſeptem laboraſſe anxietate pulmonali, enormi, ſæpe juncta doloribus pectoris, abſque ullo per exhibita hactenus auxilia ſolamine.

In qualitatibus ſenſibilibus unice pallorem inſignem faciëi, oculos cavos, & tumorem crurum œdematoſum, ſed non niſi per paucos dies, dein diſparentem, & rariſſime reverſum, obſervare licuit. Loquela ſubinde ita præpedita, ut ſolet in nauſeantibus, cum vomitus inſtat, absque manifeſta tamen cauſa.

In excretionibus, præter id, quod in ulteriori morbi delineatione occurret, unice notavimus ſudores ſubinde, nec tamen profuſos, nec inæquales, eosque rariores.

Dolores occupabant thoracem ſiniſtrum inferiorem, ſed per totum abdomen dorſumque & lumbos ſeſe propagantes; ſimulque de moleſtiſſimo ſenſu diſtenſionis in eodem illo thoracis latere conquerebatur.

Anxietas enormis præſertim decumbenti in dorſum & latus dextrum, minor dum erecto ſederet trunco. Corpore autem in anteriora flexo diſtinctiſſimam ſenſationem fluctuantis antrorſum materiæ teſtabatur, cujus refluxum verſus poſteriora haud ita diſtincte, obſcure tamen, percipiebat.

Senſuum externorum & internorum functiones integræ prorſus, nec in facultate motrice aliquid vel ſpasmodici vel paralytici.

Som-

neque his, neque aliis opus eſt, exemplis, mira etenim illa cordis conformatio, hoc capite deſcribenda,

Somnus plerumque parciſſimus, turbatus tuſſi & anxietate, ita ut eum leni anodyno arceſſere & placidiorem reddere jam per aliquod tempus conſueviſſet, a quo tamen agendi more deſiſtendum eſſe, duxi. Et ſane ſub finem vitæ etiam ſpontanea aderat & invincibilis ſomnolentia, quæ tamen paucis ante mortem diebus etiam ſponte ſolvebatur.

Pulſus ſemper debiliſſimus juſto celerior, ſed, quod probe tenendum, vix ullum turbatæ circulationis per inæquales aut intermittentes ictus exhibebat indicium: Rariſſimæ cordis palpitationes, eæque tam levis momenti, ut eas negligeret æger.

Inſpiratio aëris difficillima, exſpiratio facilis ſatis, quod ſi corpus eundo vel leviſſime moveret, intercipiebatur reſpiratio & imminebat ſuffocatio, quam tamen tranquille ſedendo avertebat. Tuſſis frequens, nec tamen perpetua, præſertim de nocte vehementiſſima, clangoſa, quâ non niſi glutinoſa ſputa eaque pauciſſima emittebantur. Monebat interim æger inquirentem hac de re, ſubinde quidem, non tamen, niſi a validiori tuſſi, aliquod, leve licet, ſanguinis veſtigium ſputis intermixtum fuiſſe.

Appetitus plerumque ſatis vegetus, nec a modica facilis cibi copia multum moleſtiæ. Alvus plerumque bene reſpondebat, ſubinde tamen paulo ſtrictior erat; ſi forte profuſior, anxietatum aderat levamen. Urinæ tantum non ſemper parciſſimæ, ruberrimæ, ſedimento lateritio copioſiſſimo fundum vaſculi petente. Hæ interim ſi aliquando largiores fluerent, belle admodum æger valebat.

Ita anhelo ſpiritu difficilem vitam languide traxit ad quintum usque Maji 1777. alternantes inter moleſtias & levamina, vires quidem vitæ inde a 23°. Martii, quo primum vidi hominem hunc, utcunque refocillatas ſenſit: Ultimo autem vitæ mane vomitus materiæ pituitoſæ, quem ἀσφυξία excepit, ex qua revocari non potuit, finem fecit anguſtiis. Ho-

da, vel ſola ſufficit, ut probet, morborum pectoris & cognitionem eſſe admodum difficilem, & curam ſæpe plane impoſſibilem.

Ne tamen credat quis, inutilem & noſtram in deſcribendo hocce morbo, & aliorum in delineandis aliis, plane incurabilibus, adfectibus, eſſe operam: eadem enim laude dignus cenſetur, qui certa ratione probat impoſſibilitatem rei propoſitæ, quam qui extricat, quod fieri per rerum naturam poteſt. Hac me-

Horum ſymptomatum indolem per integrum morbi decurſum eandem fuiſſe, ſed intenſitatis gradu ſubinde diſcrepaſſe difficiliora in illis, æger ſic ſatis attentus plus ſemel affirmavit.

Accuratiſſimum cauſarum examen nullam aliam attulit, quam inſigne molimen in canendo, quam artem ſtudioſe exercebat, nec enim, præter naturale commune, ullum aliud in corpore obſervare licuit ad morbos pulmonum ſeminium.

Thoracis Hydropem vel Empyema ſuſpicatus, ne miſerum hominem ſuo relinquerem fato, ſerio de paracentheſi cogitavi, haud parum incitatus feliciſſimo eventu in Act. Harlem. tom. 10. p. 2. pag. 443. deſcripto, amiciſſimo tamen Clar. Gaubii conſilio facile obtemperans, ne, qui morbo obſcurioris certe naturæ deberetur eventus minus forte benignus, huic chirurgiæ ceterum non adeo periculoſæ tribueretur, facile deſtiti, ac palliativæ ut vocant curationi, vitæ viribus quantum poſſem proſpiciens, ſtudendum duxi.

Ita, candide fateor, infeliciſſime in determinanda hac morbi ſpecie fui verſatus; quilibet autem ſymptomata, cauſamque ponderet exactiſſime, & fallor vehementer, niſi & ipſum in diagnoſi morborum imprimis pulmonalium, atque adeo in dijudicandis aliorum conaminibus cau-

methodo Boerhavii voto (*t*) ſatisfit, ut firma lege conſtituantur notæ, quibus medicus ſanari neſcios dignoſcere queat morbos, atque ab iis, qui artis opem tractabiles admittunt, caute diſtinguere; ſic præcavetur, quominus contrariis ſæpe remediis exaſperetur, quod corrigi nequit; & talia, ut cum Celſo (*v*) loquar, ponenda ſunt, non quo curatio ulla

cautiorem reddat, quam nunc ſubjungo cadaveris, hora a morte 16ª. diſſecti, hiſtoria.

Pulmo ſiniſtri lateris voluminis erat enormis, cui continendo ſaccus pleuræ vix ſufficiebat; urgebatur illud viſcus verſus ſuperiora, mediaſtinum & diaphragma vehementer admodum; parti cuivis vicinæ accreverat indiſſolubili fere nexu; inſignis ſimul obſervabatur ſubſtantiæ degeneratio; ſc. in ſuperiore parte ad altitudinem coſtæ ſecundæ (quæ coſta multum erat emollita) vomica purulenta reperiebatur; variasque porro cavernas ac fiſtulas ſanguine fluido refertas, cæcas interim omnes, exhibebat; cum diaphragmatis autem ſiniſtra & anteriore parte ita coaluerat, ut vera quaſi ſubſtantiæ cæterum adeo diverſæ confuſio obtineret, & tumor verſus cavum abdominis in hypochondrio ſiniſtro formaretur, quem volâ manus comprehendere non licuit, quo tumore ita hepar & ventriculus urgebantur, ut illius lobus ſiniſter non ultra epigaſtrium tenderet, hujus vero volumen inſigne quantum imminutum foret; apertus ille tumor cavus erat, & ſanguinem fluidum adhuc continebat. Pericardium cordi erat adnexum firmiter, maxime autem a latere pulmonis morboſi, viſcus hoc vitale haud parum prementis. Reliqua vel ſana vel ad rem noſtram non attinentia."

(*t*) Opuſcul. pag. 112.

(*v*) Medic. lib. 8. cap. 13.

la ſit; ſed ut res indiciis cognoſcantur, & non putarent, ſibi medicum defuiſſe, ſi qui ſic aliquem perdant. Tanti ſane ponderis hæc mihi viſa ſunt, ut deſcribendum huncce caſum omnino cenſuerim, præprimis, quum, ut hoc officio rite fungi valerem, Parentes, qui rariori ſed laudando & maxime imitando exemplo ſectionem ipſi petierunt, Medicus ordinarius, vir doctiſſimus & Polyater Le Pla, nec non, in conſilium ultimo anno vocatus, Celeb. Hahn, collega honoratiſſimus, quæ a nativitate ad mortem usque obſervata ſunt, humaniſſime mecum communicarunt, ipſe vero morbi cauſam in cadavere quæſivi, una cum modo nominato medico, tribusque ex meis diligentiſſimis diſcipulis J. D. Le Pla, G. J. Le Pla, & van de Kaſteelen, quorum primus ad ipſum objectum figuras exactiſſime paravit.

Sanis parentibus procreatus, ſanus in lucem emiſſus, die 17. Nov. 1764. infans, non matris ſed nutricis ubera traxit, nutricis, quæ, convulſivis ſymptomatibus obnoxia, ultra ſex ſeptimanas lactare eundem non valuit, alius dein, quæ ſaniſſima, hilaris, optimo lacte abundans, per integrum annum mammas præbuit, ſic ut optime increſceret, & primum ætatis

tis annum ferme impleverit ſaniſſimus, nulloque, quantum aut externus adſpectus, aut fallere neſcius infantis habitus, docuit, vitio correptus.

Sed primo ætatis anno vix ac ne vix quidem elapſo, ſeſe terribilium ſymptomatum, quæ poſtea adeo gravarunt miſerum, monſtrarunt initia. Digitorum quippe, unguiumque livor, non continuus, ſed nunc magis nunc minus viſibilis, parentum attentionem in ſe traxit, præſertim quum nulli compreſſioni veſtimentorum, quæ incuſanda videbatur, adſcribi poſſet; tantus tamen hic non erat, ut Medici conſilium aut & auxilium imploratum ſit, quum cæterum ſanus videbatur infans, & ſenſim pedibus inniti non tantum, ſed & incedere incipiebat, ſic ut, ſecundo ætatis anno nondum elapſo, ſolus obambularet.

Tum vero de laſſitudine conquerebatur inſigni, mox atque corpus moveret, etiamſi vix tantum, quantum ſolent illius ætatis infantis. Acceſſit catarrhus, gravi anxia tuſſi ſtipatus, &, dum præſcriptum a laudato medico remedium pertinaciter recuſavit, ſubſequente die in facie detegebantur maculæ plurimæ, primum rubræ, deinde lividæ. Tuſſis de tempore in tempus vexabat, motus ſenſim erat moleſtior, &,

 ubi

ubi ſeſe defatigaverat, facies, manus, pedes liveſcebant inſigniter, imo tunc labiorum & linguæ color ad nigrum ſæpe vergebat, quiete rurſus in naturalem mutandus; & hæ viciſſitudines ferme quotidie obſervabantur. Interea longitudo corporis augebatur multum, appetitus ſatis vigebat, & non niſi de laſſitudine, dolore preſſorio in ſuperiore parte capitis, de anxietate, præſertim tempore hyemali, de frigore tanto, interno etiam, ut focus hyeme vix calidum corpus redderet, aut æſtate ardentiſſimi ſolis radii naturalem non præſtarent effectum, multo minus ſudores elicere poſſent, conquerebatur.

Initio Martii 1767. venæſectio eo effectu inſtituta, ut & anxietas & preſſorius capitis dolor pro tempore imminuerentur. Sanguis tunc craſſus, ater fuit, &, frigefactus poſtquam fuerat, craſſamentum ſeſe á ſero non ſeparavit.

Eodem anno ad finem vergente variolas ſuperavit facile, anxietate tunc temporis non adaucta; paucis menſibus elapſis, morbillis, deinde variolis ſpuriis, laboravit, iisque princeps malum neque adauctum neque imminutum fuit. Ab hiſce autem reſtitutum morbis ſymptomata dicta vexarunt, mox atque corpus moveret, præſertim anxietas, quam tunc & ſæ-

pe

pe poſtea vehementes adeo cordis palpitationes concomitabantur, ut oculis perſpici, imo & audiri enormes cordis ictus potuerint. Equitatio tum propoſita, ut abſque defatigatione corpus moveretur, neque utilitatem adtulit, neque diu perferri valuit.

Clar. Gaubius, anno 1769. in conſilium vocatus, motum, qui abſque defatigatione fieri poſſet, omnino neceſſarium duxit, balneumque frigidum bis de die eſſe adhibendum, ſuaſit, ſic ut aqua primo die ad genua, ſecundo ad abdomen pertingeret, ſequentibus altiora loca peteret, donec ad collum perveniſſet; eoque per quadrantem horæ adhibito, inſtituendum motum, hoc vero impoſſibili, infantem lecto imponendum, corpusque ſedulo fricandum, abſtinendum autem eſſe ab hoc remedio, ſi forte moroſus infans reluctaretur, monuit. Tale vero balneum non ſæpe fuit adhibitum, quum enim thorax aquæ ſemel fuerat immerſus, tantis anxietatibus fuit correptus, ut aquam cum tranquillitate intrare recuſaverit penitus. Leni itaque motu, repetita de tempore in tempus venæ ſectione, malum ſuperare aut tolerabilius reddere, conati ſunt, ſed abſque fructu. Permanſit in eodem ſtatu. Anxietatem, ubi hæc ad ſummum gradum devenerat, concomitaba-

 tur

tur tuſſis ſicca, tolerabilior, quando anxietas imminuebatur. Oris halitus tunc temporis fuit inſolitus, comparandus cum eo, qui ex ovo recenti cocto, & ſtatim aperto, exire ſolet.

Triſtis hæc malorum ſeries nunc magis nunc minus infantem vexavit ad annum 1774., tunc vero anxietas adeo adaucta eſt, palpitationes tam vehementes fuere, ut gradu præcedentes omnes acceſſus hic longe ſuperaverit; leipothymiæ, dolor capitis preſſorius, tumor venarum jugularium, illarumque undatio ſeu pulſatio, obſervata ſunt. Equitatione plane impoſſibili, ne ab omni abſtineret motu, curru quotidie vel altero die vehebatur. Sectâ menſe Majo venâ anxietas rurſus imminuta, corpusque ad motum alacrius redditum, ſic ut ſubinde per horam obambulaverit abſque magna defatigatione, & ſpem recuperandæ ſalutis ſuſciperent parentes. Verum Autumnali tempore omnia ingravescebant ſymptomata; ſicca & anxia tuſſi ſputa ſanguinolenta, ſubinde purus ſanguis, ejiciebantur, quamobrem menſe Novembri, quatuor dierum ſpatio, bis ſanguis e corpore detractus fuit. Perſiſtebat tamen anxietas, imo hæc ſubinde tanta erat, ut mors propinqua videretur, & infans ipſe perciperet, ſe non diu ſuperfuturum, ſæpiſſi-

piſſime adfirmans, malum, quo laborabat, omnibus omnino incognitum, incurabile eſſe, neminemque comprehendere poſſe, quid ipſe loco cordis perciperet. Decimo quarto Decembris iterum inſtituta venæ ſectio levamen aliquot dierum attulit, ſed gradatim rurſus in pejus vergebat malum, adeo ut hyems, ipſi infanti ferme intolerabilis, parentibus etiam ſummas crearet moleſtias.

Inſequenti menſe Aprili, ut & Julio, repetitæ venæ ſectiones, decocta aperientia, depurantia, largiter epota, & totum hunc ſupervixit annum, abſque ut vel ullum perciperet levamen. Febris per totum morbi decurſum vix unquam animadverſa.

Quæ, initio anni 1776. infantem examinans, Clar. Hahn præſcripſit, levamen pro tempore attulerunt, ſenſim tamen malum in pejus vergebat, motus plane reddebatur impoſſibilis, &, ſi corpus vel parum exercebat, inſignem aquæ copiam ore demittebat, leipothymia corripiebatur, & per aliquod temporis ſpatium nil omnino videre poterat. Quæcunque tunc adhibebantur media fruſtranea fuerunt, anxietates augebantur inſigniter, præſertim cum lectum petebat, quæ antea placebant, jam nihil amplius ipſum adficiebant, intumeſcebat facies, œdemate

mate corripiebantur pedes, miſerrimamque traxit vitam ad diem octavum Martii 1777., quo, ſumma anxietate correptus, vivere deſiit.

Quæ ultimo anno fuerunt animadvertenda, breviſſime attigi, cum Clar. Hahn mecum humaniſſime communicavit, quæ tunc temporis notanda cenſuit, & jam ipſius honoratiſſimi collegæ verbis ſequuntur.

„ Puerum cæruleatum, de quo varii per urbem rumores ferebantur, primum vidi inter initia anni 1776., rogatus tum a Patre ejus Jacobo van Noort, viro optimo, cive ſpectatiſſimo, tum a Medico, qui curam ejus a prima infantia habuit, clariſſimo Le Pla.

Agnovi protinus morbum, cujus famam & admirabilitatem, quod ſæpius evenit, præſentia ægri minuebat. Aſthmaticus enim erat puer, & poſt leviſſimum corporis motum adeo difficiliter ſpirabat, ut facies ac manus, velut in ſtrangulato, liverent, & ſubinde cœruleo pigmento tinctæ viderentur.

Sed cauſa tanti tamque diuturni aſthmatis obſcura erat; & ne quidem de initio mali conſtabat. Aſſerebant Parentes, confirmabat Medicus, ſanum in lucem prodiiſſe puerum, nec primo ætatis anno male adfecti pectoris indicia ulla dediſſe; altero demum anno cærulantem colorem & ſigna aſthmatis appa-

apparuiſſe, nec malum fuiſſe aſſiduum, ſed modo gravius modo levius, ſic tamen ut progreſſu ætatis una cum creſcente corpore incrementa caperet.

Species pueri & forma erat decora; ſtatura pro ætate procera; juſta membrorum proportio; ſpirandi ſemper aliqua difficultas, etiam ſecundum quietem, præſertim tempeſtate aquilonari; ſed longe major poſt corporis motum. Facies quoque ſemper aliquantum turgida; oculi protuberantes, ſtabiles, moleſtiæ alicujus teſtes; color & habitus faciëi urgente aſthmate talis, qualis in hominibus per hyemem adverſo vento diu & acriter ambulantibus conſpici ſolet. Tunc genæ, naſi apex, auriculæ, item manus, digiti, ungues livebant; labia, lingua, oris interiora erant ſubinde atro-purpurea. Carotidum pulſatio eminus conſpicienda; pulſus arteriarum ad carpos varius & fallax.

Animus ingenioſi pueri valde mutabilis, plerumque difficilis & quaſi indignabundus, ſubinde ad breve tempus hilaris, ſic tamen ut ſubridentis frons & oculi inhærentem ægritudinem declarare pergerent. Redibant protinus querelæ varii generis; de cephalalgia, maxime ſecundum ſuturam ſagittalem, de otalgia, de dolore pectoris & hypochondrii ſiniſtri,

ſtri, de nauſea, de dolore ventris ad pubem interdum extenſo, de ſenſu frigoris, aliisque moleſtiis.

Et ſane ut phænomena diverſis temporibus diverſa ſpectabantur, ſic querelarum cauſæ variæ erant. Conſtantia & perpetua hæc vidi.

1. Magnam ſpirandi difficultatem poſt corporis motum, & ſpectabiles vaſorum in collo pulſationes.

2. Faciem pleniorem, quam proportio carnium in artubus ferebat, eandemque inter anhelitus liventem, oculis turgidis, & ſanguine interdum ſuffuſis.

3. Urinam ſemper ſaturato colore, ſine ſedimento.

4. Alvum tardiſſimam, non modo tempore anorexias, ſed etiam vigente cibi appetitione.

5. Aſſiduum frigoris ſenſum, etiam calente ad tactum cute, qui puerum non deſerebat, niſi in lecto poſt plenam corporis calefactionem; nam & hyeme juxta focum ſedens de horrore & algore querebatur, & per æſtatem ardentiſſimos ſolis radios aut ignem culinarem deſiderabat.

Denique & hoc conſtanter vidi, mollem ventrem, & ſanguinis e naribus fluxum, qui per intervalla incidebat, magnum identidem levamen attuliſſe.

Phænomena abunde docebant, ſanguinis deſcen-

ſcenſum a capite, ejusque per pulmones tranſitum eſſe impeditum; ſed quod, quale, ubi obſtaculum esſet, certis indiciis nequaquam conſtabat. Difficultatem inveſtigationis augebat conſtans Parentum & Medici amici affirmatio; malum connatum non eſſe. Quo aſſumto haud abſurda mihi videbatur hæc conjectura: pernicioſos prunarum halitus tenerum pulmonem in prima infantia vitiaſſe, & pertinaci aſthmati occaſionem dediſſe, cum viderim aliquoties a prunis non bene exuſtis, in cubiculo perflatum nullum habente per hyemem poſitis, perennia pectoris mala inducta.

Pericula feci varia, partim ad detegendam mali cauſam & ſedem, partim ad minuendam ſymptomatum moleſtiam. Vana fuerunt pleraque, neque remedia quicquam profecerunt, præter hæc tria.

1. Hirudines ad collum & pone aures adhibitæ dolores capitis notabiliter ſedabant.

2. Cum lingua valde ſordida, ſpiritus oris fœtidiſſimus, anorexia, inflatio præcordiorum ſolito major, aliquoties fuerint, lene emeticum evidenter profuit, & ad plures dies.

3. Præcipuam tamen opem præſtabant pilulæ catharticæ, ea moderatione datæ, ut alvus mollis ſer-

varetur, nec tamen liquida fieret." Hactenus Hahnius.

Qui enarratam ſingularis morbi hiſtoriam examinat, qui pulmonum, cordisque, functiones novit, illarumque utilitatem perſpexit, quem ſana Pathologia docuit, quænam mala inſequi debeant, ſoleant, ubi aut pulmones (*w*) aut cor (*x*) aut reſpirationis ac circulationis organa ſimul, officiis ſuis non rite funguntur, omnia in puero obſervata ſymptomata facillime ex turbatis his actionibus vitalibus derivabit. Ex his ſpirandi difficultas, anxietatis augmentum moto corpore, ex his palpitationes vehementes, leipothymiæ, venarum jugularium undatio (*y*); ex his color faciëi lividus, labiorum, linguæ,

(*w*) Ill. Gaubii Inſtitut. Pathologiæ Medicinalis. pag. 409.

(*x*) Id. lib. cit. pag. 418.

(*y*) Obſervavit venarum jugularium hanc undationem Morand, quum polypus, in auricula dextra præſens, in venas usque penetrans, liberum ſanguinis circulum inhibebat. Mem. de l'Acad. des Sciences An. 1732. pag. 432. Homberg idem in asthmatica vidit, aderant polypi in aörta & arteria pulmonali. Ibid. pag. 433. Conf. Baader Obſerv. Medic. Inciſionibus cadaverum illuſtr. obſ. 1. pag. 8. Hanc undationem neceſſariam ſequelam dixit Lanciſius, quando radix venæ cavæ, auris, aut ventriculus dexter, dilatata ſunt, quia tunc ſanguis, contrahente ſeſe corde, & oſtio ventriculi dextri non rite clauſo, in venas cavas repellitur. De motu cordis & aneurysmatibus Oper. var. Tom. 2. pag. 253.

guæ, partium interiorum oris atro-purpureus; ex his cephalalgia, otalgia, dolor pectoris & hypochondrii ſiniſtri; ex his ſenſus frigoris; ex his denique, & turbis, in tota œconomia animali inde ortis, reliqua mala explicantur facile, confirmantque talis explicationis veritatem ea, quæ levamen attulerunt, ſanguinis e naribus fluxus, venæ ſectiones, hirudinum applicationes.

Verum etiamſi hæc omnia, vivente adhuc ægro, cognosci potuerint, latentem veram cauſam, reſpirationi & circulationi obicem ponentem, detegere vel tanto minus poſſibile fuit, quanto numeroſiores, natura ac ſede valde differentes noxæ ſunt, quibus libera circulatio, libera reſpiratio impeditur, ac præter palleativam curam ars nihil omnino præſtare potuit, imo ne præſtare potuiſſet, etiamſi veram cauſam divinare, cognoscere, licuiſſet.

In corde tamen potius, quam in aliis partibus, ſedem atque cauſam mali latere, probabile reddere potuerant ſectiones illorum, quos ſimilia mala antea vexaverant.

Infans, bene formatus, bene nutritus, a nativitate reſpiratione difficili, voce debili rauca, colore totius corporis plumbeo, extremitatibus frigidis,

laborans, triginta tantum horas vixit; pulmones erant valde inflati, vaſa ipſorum ſanguinea turgida, ventriculus cordis dexter, una cum arteria pulmonali, maxime expanſus, foraminis vero ovalis ne veſtigium quidem detegebatur (z).

Virgo, quæ a nativitate ſemper ægrotans jacuerat, ob ſummum præſertim virium languorem, anhelans reſpirabat, & tota cute colore quaſi livido infecta erat, tandem, cum ad annum circiter decimum ſextum perveniſſet, moritur. Cor habuit exiguum & mucronem verſus ſubrotundum. Ventriculus ſiniſter forma erat, qua ſolet dexter, & dexter viciſſim qua ſiniſter, & quamquam hoc latior, parietibus tamen craſſioribus. Dextra pariter auricula tota duplo erat grandior, quam tota ſiniſtra, duploque carnoſior. Inter utramque etiam tum patebat foramen ovale, ut minimum digitum poſſet admittere. De tribus valvulis triangularibus juſtam una magnitudinem, duæ reliquæ minorem habebant. Sigmoideæ autem, quæ pulmonaris arteriæ oſtio præficiuntur, ad baſim quidem erant ſecundum naturam, ſed parte ſuperiore cartilagineæ videbantur, quin

(z) Vieuſſens Traité ſur la ſtructure du cœur. pag. 35. ſeq.

quin exiguum oſſis fruſtulum jam habebant, erantque ea parte ſic inter ſe colligatæ, ut vix foramen relinquerent, lente non majus, per quod ſanguis exiret. Erant autem ad illud foramen quædam exiguæ productiones carneo-membranoſæ, ea ratione collocatæ, ut valvularum vices ſupplere poſſent, egredienti ſanguini cedendo, regreſſuro autem obſtando (*a*).

Difficillima reſpiratio, palpitatio adeo vehemens, ut coſtæ extra locum protruderentur, leipothymiæ, manuum pedumque frigus, in homine viginti circiter annorum, obſervata leguntur; in cujus cadavere cor ſolito magis tumefactum fuit, præſertim dextra capacitas, quæ ſanguine coagulato tumuit, arteria & vena pulmonalis coagulato cruore diſtendebantur, vena autem, cor ingreſſura, interius cartilaginoſa ſubſtantia fere claudebatur, adeo ut aciculam craſſam tantum admitteret (*b*).

Pharmacopæum Daſſis vexarunt anxia reſpiratio, violentæ cordis palpitationes, color labiorum plumbeus, frigus, pulſus debilis, parvus, inæqualis; poſt mortem vero valvulæ orificii venoſi cordis ſini-

(*a*) Morgagni de ſed. & caus. morb. Epiſt. 17. art. 12.
(*b*) Blancard Anat. Pract. pag. 13, 14.

ſiniſtri oſſeæ fuere viſæ, ita ut inmobiles non niſi parvum ſpatium ſanguini, ventriculum ingreſſuro, relinquerent, unde impedito ſanguinis libero e pulmonibus reditu, ſanguis etiam ab hoc viscere admitti, & cor dextrum ſeſe evacuare non potuit, ſed totum enormi modo fuit extenſum (*c*).

Homo, viginti quinque annorum, faciem habebat lividam, pulſum parvum, inæqualem, validis vexabatur palpitationibus, ita quidem, ut ſine animi deliquio corpus fortiori motu exercere non potuerit; acceſſerunt pectoris anxietates, frequentes leipothymiæ, & extrema plerumque frigida fuerunt. Pericardium multo ſero, limpido, inodoro, inſipido, repletum inveniebatur; cor difforme, ſiniſter ejus ventriculus magnitudine fere duos pugnos viriles adæquabat, & ejus ſubſtantia in tenuem, fibroſum, ſaccum erat expanſa; in ejus cavo latebant multi polypi; dexter ventriculus erat plenus grumoſo ſanguine, & vaſa pulmonum ac cerebri ſimili quoque ſanguine turgebant (*d*).

Anxietates, palpitationes, adfuerunt in aliis, in quibus aörta cum ſuis valvulis fuit oſſificata (*e*).

Fæmi-

(*c*) Vieuſſens lib. cit. pag. 103.

(*d*) Störck ann. méd. ſec. pag. 153. 154. ſeq. edit. Leid.

(*e*) Deidier apud Vieuſſens lib. cit. pag. 109.

Fæmina longo tempore difficili reſpiratione angebatur, & ex paulo fortiori motu eam palpitatio cordis prehendit. Pulmones nigri erant, atque graves; in ventriculo dextro cordis paucus ſanguis grumoſus repertus; ſiniſter in magnum ſaccum membranaceum extenſus, in quo unicus erat polypus, qui uncias quatuor pondere exceſſit; arcus arteriæ aörtæ fuit perfecte oſſeus, tranſitus autem adeo anguſtus, ut nec parvus digitus intromitti potuerit (*f*).

Contractam admodum aörtam, quæ dimidiam vix pulmonalis arteriæ æquabat diametrum, cor vero prægrande atque flaccidum fæmina habuit, quæ a tenera juventute, anxietatibus, univerſali corporis tremori, cordisque palpitationibus fuerat obnoxia (*g*).

In omnibus hisce caſibus plura, pauciora, ſymptomata aderant, quæ in noſtro puero fuere animadverſa, in omnibus cor præprimis laboravit, ſed non in omnibus eodem vitio. In noſtro caſu ſedes atque cauſa mali revera etiam in corde latuit, ſed vitium, a deſcriptis omnibus maxime diverſum, merito rariſſimum fuit dictum.

Inſti-

(*f*) Störck lib. cit. pag. 171.
(*g*) Meckel Mem. de l'Acad. de Berlin. 1750. art. 5.

Inſtituta Cadaveris ſectio die 10 Martii omni cum cura. Solum pectus cum collo fuit apertum, quum malorum omnium fontem atque originem in eo delitescere, ſymptomata abunde probaverant.

Color integumentorum licet non adeo lividus fuerit, quam in vita, ſtagnante quippe maxima ſanguinis in corde aut vaſis majoribus copia; horum tamen & ſubjectorum muſculorum ſeparatio tædioſa erat, tantum enim in vaſis, minoribus etiam, adhuc aderat ſanguinis, ut continuo efflueret, & maximo eſſet impedimento, adeoque multum temporis fuerit inpendendum, antequam oſſa penitus eſſent denudata, & thorax aperiri poſſet. Tunc autem ſternum, a claviculis liberatum, ſeparatis muſculis, diffractis in quoque latere ſex ſuperioribus coſtis ad abdomen reflexum fuit.

Aperta ſic thoracis capacitate, non, prout cæterum ſolet, pericardium, pulmonibus quaſi cinctum & comprehenſum ſeſe exhibuit (*h*), ſed unica maſſa conſpiciebatur, totum ferme cavum adimplens, &

(*h*) Conferatur Euſtachii Tab. 9. f. h. i. k. f. k. in latere dextro thoracis, f. k. h. i. f. k. in latere ſiniſtro, x. x. x. x. Porro in hac capacitate pericardium n. w. comprehenſum quaſi pulmone dextro n. o. p. & ſiniſtro q. r.

& pulmones quam maxime comprimens. Hæc autem maſſa pericardium erat, continens diſtentum maxime, & ſanguine repletiſſimum, cor. Extendebat ſeſe a diaphragmate (quod in dextro latere ad coſtam quintam, in ſiniſtro tantum ad ſextam adſcendebat) ad locum medium inter primam ac ſecundam coſtam, ac laterales thoracis partes tantopere replebat, ut pulmonis dextri portio tantum anterior, margo nempe lobi ſuperioris & medii, conſpiceretur, ſiniſtri vero non niſi exigua pars a parte laterali ac ſuperiori ſeſe manifeſtaret. Supra pericardium vena cava ſuperior una cum ſubclaviarum principiis, parte thymi adhuc tectis, conſpicua, ſanguine atro intumescebat.

Pericardio diſſecto aquæ copia quædam effluxit, neutiquam vero tanta, quin ſæpe in cadaveribus, nullo hydrope adfectis, talis imo longe major detur.

Cor autem, a ſacco ſuo liberatum, turgidiſſimum erat, non vero æquabiliter, non ambo ventriculi ad eundem gradum erant diſtenti, ſed dexter ventriculus, una cum ſinu atque aure ipſi adpoſitis, inſigniter, & multo magis quam ſiniſter, ſanguine turgebat, venæque omnes, per externam cordis ſuperficiem incedentes, coronariarum rami, ad minutiſſimos

mos ferme fines adeo dilatatæ erant, ut feliciſſima etiam injectio illas diſtinctiores reddere neutiquam potuiſſet.

Venæ ex ſubclaviis enascentes, præprimis jugulares, enormiter ſanguine repletæ erant, tenui, atro. Cava ſuperior, ubi intra pericardium hæret, capacitate naturalem non multum excedebat, inferior vero ſolito magis erat expanſa. Pulmonales turgidæ quidem, ſed non ultra modum. Aörta magis quam ſolet in principio dilatata, ſed arteria pulmonalis eo loco, ubi ex corde oritur, tantopere contracta erat, ad bifurcationem ferme usque, ut omnium in ſe traheret attentionem. Canalis arterioſi, ſeu potius hac ætate ligamenti, ex pulmonali arteria in aörtam tendentis, olim pervii, nullum adfuit veſtigium.

Pulmones extrinſecus nullam manifeſtabant labem; parvi tamen, compreſſi, non admodum extenſiles, ſatis docuerunt, officio ſuo, omni ſenſu, rite fungi non valuiſſe.

Vel externa cordis contemplatio, mali ſedem omniumque ſymptomatum unicum fontem in ipſo delitescere, docebat. Hoc itaque, ligatis vaſis omnibus, tum quæ a trunco accipit aut ipſi tradit, tum quorum ope cum pulmonibus cohæret, a trunco, a reſpi-

reſpirationis organis liberatum, ulteriori examini fuit ſubjectum.

Apertus primo ſinus dexter (*i*) cum aure (*k*) fuit, ut, copioſo tenui, atro, ſanguine emisſo, capacitas hæcce primo luſtrari valeret. In pariete inter dextrum atque ſiniſtrum ſinum obvio foramen ovale aperturam (*l*) monſtravit, quæ craſſiorem ſtilum admittebat.

Digitus, ventriculo dextro immiſſus, dein apice incurvatus, ac verſus orificium arterioſum (*m*), ſolito more ex hoc ventriculo enascentis, arteriæ pulmonalis, promotus, illud orificium nullo modo detegebat, verum absque omni difficultate in alterum, illudque capaciſſimum, admittebatur. Sed quanta adſtantium, quanta pariter mea fuit admiratio, ubi vidimus, apicem digiti in arteriam aörtam (*n*), nullam omnino, juxta conſtantes cæterum naturæ leges, cum ventriculo dextro communicationem alere ſolitam, pertingere!

Ventriculus ea propter dexter in loco, oppoſito illi

(*i*) Tab. I. d.
(*k*) Tab. I. e.
(*l*) Tab. I. i.
(*m*) Tab. I. p.
(*n*) Tab. I. q.

illi valvulæ, pone quam aditus ad orificium arterioſum eſt, ad apicem usque findebatur (*o*), atque tunc digitus non tantum, verum oculus, ſublata parumper dicta valvula (*p*), orificium capax aörtæ detegebat, una cum margine glabro (*q*), ultra quem propulſus & deorſum tunc promotus digitus in alterum, ſiniſtrum, cordis ventriculum pertingebat. Secta, ad ſufficientem a valvulis ſemilunaribus diſtantiam, arteria aörta (*r*) & examinata, eundem illum marginem (*s*) monſtravit, quo orificium dividebatur in partem majorem, cum ventriculo dextro (*t*) communicantem, in minorem, ventriculo ſiniſtro (*v*) adſcribendam.

Arteria itaque aörta enascebatur ex ventriculis ambobus, & ſanguinem omnem ex utroque accipere debebat. Hoc autem notatu digniſſimum magnæ arteriæ principium, alia ſectione facta, tanto melius oculis ſeſe exhibuit; luſtrato prius arteriæ pulmonalis orificio.

Hæc arteria, ſupra valvulas abſciſſa (*w*), has parvas

(*o*) Tab. I. a.a.
(*p*) Tab. I. pone p.
(*q*) Margo hic, poſtea magis conſpicuus Tab. II. t. exhibetur.
(*r*) Tab. III. Fig. 1. 2. a. a. a. Fig. 4. a. a.
(*s*) Tab. III. Fig. 1. 2. f.
(*t*) Tab. III. Fig. 1. 2. h.
(*v*) Tab. III. Fig. 1. 2. g.
(*w*) Tab. III. Fig. 3. a. a. a.

vas admodum, ferme concretas (*x*), & ſubſtantia quadam granuloſa, carneas excrescentias referente, obſeſſas (*y*) exhibuit, ſic ut non niſi exiguum relinqueretur ſpatium (*z*), quod, apicem tenuioris ſtili admittens, huic aditum ad ventriculum dextrum præbebat, eundem vero difficilius a ventriculo ad arteriam transmittebat (*a*). Loco inter duas valvulas medio apertum hoc orificium poſtquam fuerat (*b*), binas tantum valvulas vidimus, difformes, pro parte dicta granuloſa ſubſtantia obſeſſas (*c*), qualis in arteria ſupra valvulas ſeſe etiam exhibuit (*d*).

Diſſecta tunc ſinus dextri illa parte, quæ aörtæ propinqua eſt, una cum arteria ipſa (*e*), in ipſo orificio integræ duæ valvulæ (*f*), pone quas coronariarum arteriarum orificia (*g*) dantur, ſeſe monſtrarunt, tertia medio loco ſecta erat (*h*). Margo glaber, rotundus (*i*), viam verſus dextrum (*k*) & ſiniſtrum (*l*) ventriculum diſtinguens, parietem, inter binos

(*x*) Tab. III. Fig. 4. b. b.
(*y*) Tab. III. Fig. 3. b. b.
(*z*) Tab. III. Fig. 3. c.
(*a*) Tab. II. x. x.
(*b*) Tab. III. Fig. 4.
(*c*) Tab. III. Fig. 4. b. b. c. c.
(*d*) Tab. III. Fig. 4. d.
(*e*) Tab. I. p. d. q.
(*f*) Tab. II. q. q.
(*g*) Tab. II. r. r.
(*h*) Tab. II. s. s.
(*i*) Tab. II. t.
(*k*) Tab. II. w.
(*l*) Tab. II. v.

binos ventriculos medium, in ſuperiore parte terminans, pulchro ſeſe exhibuit modo, ac nullam omnino dubitationem reliquit, quin arteria magna (*m*) communicaret cum dextro (*n*), æque ac ſiniſtro (*o*) ventriculo.

Sinus ſiniſter apertus, parvus, præter aperturam foraminis ovalis, nihil exhibuit. Ventriculus etiam ſiniſter nil inſoliti oſtendit, præter dictum marginem in principio arteriæ aörtæ. In craſſitie ventriculorum tanta non animadvertebatur differentia, quanta plerumque locum habere ſolet, ſed dexter, ſi non craſſior, æqualem craſſitiem ac ſiniſter habebat. Nullibi polypoſa concretio obſervata.

Tantum dum aderat vitium in circulationis organo primario, quod veriſſimum omnium malorum fontem conſtituebat, reliqua corporis cava intacta reliquimus, quippe quæ nullum omnino malum exhibuerant, quod non ex impedito ſanguinis circulo explicari a perito poſſet. Vel enim vehementer fallor, & falluntur omnes, qui ſecanti mihi adſtiterunt, aut caſum enarrantem audiverunt, vel omnia ſympto-

(*m*) Tab. II. p. p. Tab. III. Fig. 1. 2. a. a. a.

(*n*) Tab. II. w. Tab. III. Fig. 1. 2. h.

(*o*) Tab. II. v. Tab. III. Fig. 1. 2. g.

ptomata ex unico hoc vitio cordis derivantur facile. Qui naturalem cordis fabricam ſibi in mentem revocant, qui eandem cum deſcripta degeneratione comparant, intelligunt, quanta in ſanguinis circulatione mutatio locum habuerit, quanta in pulmonum officio.

Quæret forte quis, an vitium hoc acquiſitum, an vero congenitum, ſit dicendum? Non a nativitate extitiſſe, forte credi poſſet, quia primo ætatis anno nulla ſui ſigna præbuit, reſpiratio libera, æquabilis, viſa fuit, verbo ſaniſſimus vixit infans. Sed aliæ tunc enascuntur quæſtiones; an & qua cauſa laceratus, inter ventriculos medius, paries? an margo, alluente continuo & præterfluente ſanguine, tantopere lævigatus, ut ab ipſo infantis ortu extitiſſe videatur? an aörta, continua expanſione, omnem quippe ferme ex toto corde ſanguinem accipiens, quoad ſedem ſic mutata, ut ex binis ventriculis jam oriatur, quæ antea ad ſolum ſiniſtrum pertinebat? Pernicioſos prunarum halitus tenerum pulmonem in prima infantia vitiaſſe, & pertinaci aſthmati occaſionem dediſſe, celeberrimi Hahnii conjectura fuit, Parentibus & Medico conſtanter adfirmantibus, malum connatum non eſſe. Quantum pulmonibus noceant, quam ſæpe lethiferi tales halitus ſint, notiſſimum, &, pulmo-

nibus quacunque de cauſa immeabilibus, ſanguinem vel arteriam pulmonalem (*p*) vel valvulas (*q*) dilaceraſſe, vel ventriculum dextrum quam maxime dilataſſe (*r*), vel eundem ſubito fuiſſe disruptum (*s*), obſervatis conſtat. Vix autem credibile, infantem, ſi talis hac de cauſa ſepti inter ventriculos medii laceratio obtigiſſet, undecim annos ſupervivere potuisſe. Dictæ tamen cauſæ aberratio adſcribi poſſet, ſi arteriæ pulmonalis principium, quod anguſtiſſimum fuit, e contra amplitudinem inſignem habuiſſet, & canalis arterioſus, in fœtu inter arteriam pulmonalem & aörtam inveniendus, ſanguinem ex arteria pulmonali in aörtam derivans (qui plerumque poſt paucos menſes cœcus, ſecundo tamen anno, imo tertio quin & in adulto homine, apertus fuit viſus (*t*), cujus autem hoc in corpore ne veſtigium quidem fuit dete-

(*p*) Matani de Aneurysmaticis præcordiorum morbis Edit. Francof. pag. 145.

(*q*) Cowper Myotomia reformata Tab. 38. Fig. 3. a. a. a. Baſſii Obſervat. Anat. Chir. Medic. Dec. 1. pag. 113. 114. Tab. 1. Fig. 2. h. h. h. h. Miscellanea Acad. Nat. Cur. Cent. 1. pag. 171.

(*r*) Mem. de l'Acad. des Sciences An. 1730. pag. 158. Vieusſens Traité ſur la ſtructure du cœur. pag. 102. Confer. not. d. pag. 3.

(*s*) Vid. not. f. pag. 3. 4.

(*t*) Conf. Halleri Elem. Phyſiol. Tom. 3. pag. 161. 162. Tom. 8 part. 2. pag. 9. 10.

detectum) dilatatus admodum fuiſſet; tunc enim concludi poſſet, ſanguinem, magna cordis vi propulſum, nec a pulmonibus admiſſum, viam, quam a nativitate deſeruerat, iterum ingreſſum fuiſſe atque dilataſſe. Verum & hoc in caſu tanta ſuborta fuiſſent mala, ut ſupervivere vix valuiſſet infans, carere enim uſu pulmonum libero non poſſe hominem, quando hi aliquamdiu officio functi ſunt, etiamſi intactis ferme illis per reliquum corpus circulatio vigeat, ex experimentis concludi licet (*v*).

Connatum fuiſſe vitium, longe verior mihi videtur conjectura; nec obſtat, quod primo ætatis anno ſaniſſimus vixit infans, hoc enim tempore, pulmonibus officiis ſuis ob motum vix ullum, & tranquillitatem infantis maximam, nondum plenarie fungentibus (*w*), vitium, quod revera jam aderat, ſeſe occultare potuit, donec motu corpus exerceret infans. Vel tanto magis hac in opinione confirmor, quum, licet ſummo jure vitium rariſſimum vo-

(*v*) Haller lib. cit. Tom. 3. pag. 314. 315.

(*w*) Primo anno vix clamaſſe, non tuſſiiſſe, verbo tranquille admodum vixiſſe infantem, Parentes ſæpius adfirmarunt. Conſtat autem, clamorem & nixum expedire pulmonem, & vaſa ejus ſanguinea dilatare, & circulationem per id viſcus accelerare. Haller Elem. Phyſiol. Tom. 8. part. 2. pag. 10.

vocaverim, non tamen absque exemplo ſit, ventriculum dextrum & cum arteria aörta, & cum arteria pulmonali, communicaſſe; aörtam vero ſanguinem ex dextro pariter atque ex ſiniſtro ventriculo accipere debuiſſe.

In embryone enim, monſtro adfini, Pariſiis diſſecto, vidit Stenonis, præter alias a naturali ſtatu recedentes partes, cor, hepar, ventriculum, lienem, inteſtina fere omnia, ut & renem dextrum, nullo tegmine obducta, thoracis & abdominis cavitates apertas reliquiſſe. Præ cæteris autem ipſius adtentionem & admirationem merebatur arteriarum, e corde prodeuntium, inuſitata formatio. Prima fronte novi quid portendere videbatur pulmonum arteria, multo arctior, quam aörta; quam ideo a dextro cordis ventriculo usque ad ipſam utriusque pulmonis ſubſtantiam aperuit, ſimul evidenter agnovit, canalem, qui a pulmonum arteria fertur in aörtam, in omni alias fœtu conſpicuum, hic penitus defuiſſe. Cum vero dextrum ventriculum aperuiſſet, ſtilus, juxta ſeptum ſurſum propulſus, in aörtam usque patens ſibi oſtium invenit, eâdem facilitate, qua mox ex ſiniſtro ventriculo in eandem aörtam adſcendebat. Tria hic dextri ventriculi oſtia erant, ab auricula unum,

duo,

duo in arterias, idemque aörtæ canalis utrique ventriculo communis mediante ſepto cordis geminum orificium formabat (*x*).

Quid denique Medico ſit agendum, ſi in ægro eadem, quæ ſupra memoravimus, ſymptomata offendat, ac proinde tale vel ſimile vitium ſuſpicetur; ex præmiſſis concluditur facile. Impedita libera circulatio, impedita libera reſpiratio eſt, levamen ergo adferre valet, quidquid, ſanguinis copiam minuendo, circulum ipſius expeditiorem reddit, venæ ſectio itaque, & hirudinum applicatio; quicquid ſpisſitudinem ſanguinis tollit, ac primas vias puras, liberas, reddit. Optimum ergo ſucceſſum præbebunt eccoprotica; ſcopo eidem ſatisfacient cibi facilis digeſtionis, unde optimus paratur chylus; motus leniſſimus erit permittendus, vitandus vero omnis, qui corpus defatigare, ſanguinisque circulum multum incitare valet. Levamen noſtro in caſu adtulerunt lenia emetica, adfirmantibus Parentibus, notante etiam Celeb. Hahnio, cujus ſuaſu hæc fuere ſumta, & tantum quidem, ut aliquoties talia medicamina petierit infans; ſed hæc aliis in caſibus non videntur

(*x*) T. Bartholini Acta Hafnienſia Tom. I. n. 110. pag. 200.

tur laudanda; major enim, quam requiritur, ſanguinis congeſtio in capite eſt, vaſa nimis plena admodum diſtenta ſunt, reditus ipſius a capite impeditus; in ipſo autem actu vomendi, etiam in illis, qui nimiam ſanguinis copiam non habent, rubet & tumet facies, dolet caput, oculi, ſanguine ſuffuſi, lacrymantur, ſcintillæ ante oculos obverſantur, vertiginoſi fiunt, quia ſanguinis copia & impetus verſus caput derivantur, & reſpiratio per vomitum impeditur (y), quare, plethoricis, aſthmaticis, ſimilibusve vix unquam propinanda eſſe emetica, practici monent.

CAPUT SECUNDUM.

De Cordis, Valvularum, Arteriæ Aörtæ, nonnullis morbis.

Summa attentione dignam præcedentem obſervationem absque dubio cenſebunt omnes, & mirum pluribus videbitur, tanto vitio, totam œconomiam animalem quaſi perturbante, tot annos ſupervixiſſe infan-

(y) Conf. Van Swieten Comment. in Aphor. Pract. Boerhavii Tom. 3. pag. 266.

infantem. Mirabuntur autem hoc minus Anatomici, qui, cadavera ſedulo perſcrutantes, morborumque ſedes inveſtigantes, multas a ſtatu naturali aberrationes inveniunt, quæ viventi homini magnas non excitaverant turbas, atque experiuntur, naturam humanam a Summo Creatore tales accepiſſe vires, ut, quamvis partes naturali plane oppoſitum ſitum habeant, corpus tamen functiones ſuas absque ſanitatis læſione obire poſſit (*a*), ut non majori etiam vitio ſtatim deſtruatur, ſed natum impedimentum vel penitus tollere, vel modificare, vel ſeſe accommodare tali ratione poſſit, ut vita tolerabilis per annos ſubſiſtat; qui hac experientia diſcunt, theoreticis ſpeculationibus, meris ſæpe hypotheſibus, non nimis eſſe indulgendum, niſi poſſibilitatem eorum, quæ propriis tamen oculis cernunt, negare vellent.

Fal-

(*a*) Inter alios caſus præprimis memorandæ videntur viscerum transpoſitiones, quas viderunt Mentelius, medicus Pariſinus, circa annum 1650. in latrone, ut narrat in Epiſtola ad Pecquetum. Vid. Hujus Experim. nova Anatom. pag. 179. ſeq. & Merius in milite ſeptuaginta duorum annorum. Hiſt. de l'Acad. Royale des Sciences 1688. pag. 44. & Du Hamel Reg. Scient. Acad. Hiſt. lib. 3. cap. 2. pag. 273. Conf. Lettres choiſies de feu Mr. Guy Patin Tom. 1. pag. 135. qui priorem caſum etiam enarrat, & T. Bartholini Hiſt. Anat. Cent. 2. hiſt. 29. Cl. Lobſtein Diſſ. de nervo ſpinali ad par vagum acceſſorio pag. 39. & Theſauri noſtri vol. 1. pag. 347.

Fallor vehementer, ſi hujus aſſerti veritas brevi relatione morborum, quibus cor, ipſius valvulas, vaſa, laboraſſe vidi, quique, non cito enati, per longiſſimum ſæpe temporis ſpatium ſubſtiterunt, non probetur (*b*).

Cor, pericardio circumdatum, parva humoris copia cinctum (*c*) perpetuo in motu verſatur, ut accipere, expellere, ſanguinem poſſit; hic vero motus difficilior redditur, turbatur, ſi aut aquæ copia multum adaugetur, aut cor pericardio adnectitur (*cc*).

Hydropis pericardii multæ exſtant obſervationes (*d*), ſed raro tanta copia aquæ in hoc ſacco invenitur, quantam videre licuit (*e*). In cadavere quippe fæmi-

(*b*) Meretur conferri Senac, qui brevi ſermone varias cordis aberrationes, ex aliis collectas, deſcripſit, licet autores non adducat. Traité de la ſtructure du cœur Tom. 1. pag. 178. ſeq. Conf. De Haen rat. med. vol. 2. pag. 143. 144. ed. Leid.

(*c*) V. Halleri Elem. Phyſiol. Tom. 1. pag. 283.

(*cc*) Inſpiciantur Meckelii Obſervationes de morbis cordis in Mem. de l'Acad. de Berlin année 1755. pag. 56.

(*d*) Vieuſſens Traité ſur la ſtructure du cœur. pag. 6. ſeq. Duverney Mem. de l'Acad. des Sciences ann. 1703. pag. 158. Senac traité de la ſtructure du cœur. Tom. 2. pag. 349. Morgagni de ſed. & cauſ. morb. Epiſt. 26. art. 16. & aliis in locis. &c.

(*e*) Triginta uncias memorat Blaſius Obſerv. Med. rar. pag. 32. quatuor libras Hildanus Obſ. lib. 4. obſ. 51. Vieuſſens lib. cit. pag. 13. alia exempla collegit Hallerus lib. cit. Tom. 1. pag. 299.

fæminæ, quadraginta ad minimum annorum, non ſolum aqua ſub cute tanta aderat copia, ut totus truncus, artus, caput etiam, inſigniter intumeſcerent, & ex vulnuſculo, minimo licet, facta etiam levi excoriatione, inſignis quantitas prodiret, ſed aquoſus latex ſimiliter in abdomine, in quoque thoracis latere, in ventriculis cerebri non leve præbuit obſtaculum; pericardium autem enormiter erat diſtentum, ut ſeparato ſublatoque ſterno non niſi maſſa quædam conſpiceretur ingens, totum ferme thoracis cavum occupans, pulmoneſque ſic comprimens, ut vix quicquam illorum conſpiceretur, & diaphragma multum deorſum eſſet detruſum. Turbida, & flava, hæc aqua ſedimentum albidum, mucoſum, tenax, depoſuerat ad cor & pericardium tanta copia, ut circulationis organum cum vaſorum principiis illo eſſet tectum, ac partes vix ab invicem diſtingui valerent. Præterea parvum, maxime contractum, variis in locis exulceratum cor fuit. Vaſa, ſanguinem de capite & artubus ſuperioribus revehentia, admodum tumida. Eroſio, hoc in corde in omnibus locis non æque inſignis, præcipue verſus apicem animadvertenda, ab aliis annotata (*f*), ſæpius a nobis etiam ob-

(*f*) Senac traité de la ſtructure du cœur. Tom. 2. pag. 385. Storck Ann.

obſervata eſt, licet non tanto gradu, ut ferme per totam cordis ſubſtantiam penetraverit, aut ad ipſos usque ventriculos pertigerit, ſic ut ſanguis fuerit in pericardium effuſus, quod alii viderunt. (*g*).

Quemadmodum pulmones, poſt varios morbos, præcipue inflammatorios, cum pleura, cum pericardio ſæpiſſime concrescunt, ut vix unquam cadaver ſecetur, quin Anatomico exinde difficultas enascatur maxima, & prout hæc cohæſio ſæpe adeo firma eſt, ut omnia pectoris viscera unicam maſſam referant, & nec ab invicem, nec a partibus, thoracem ſuccingentibus, absque læſione ſeparari poſſint (*gg*), ſic Pericardium cum corde ſubinde vel magis vel minus connaſcitur. Plurima filamenta longiora, brevio-

Ann. med. ſec. pag. 172. Morgagni de ſed. & caus. morb. Epiſt. 25. n. 17. 18. 19. qui magnum obſervationum numerum collegit. Halleri Elem. Phyſiol. Tom. 1. pag. 285. 432.

(*g*) Schaarſchmidt Mediciniſche und Chirurgiſche Nachrichten. I. Jahrg. pag. 45. III. Jahrg. pag. 244. Mem. de l'Acad. R. des Sciences Ann. 1732. pag. 431. Eph. N. C. Cent. 9. obſ. 15. pag. 17. Act. Acad. N. C. Tom. 2. obſ. 19. pag. 47.

(*gg*) In cadavere viri, vix triginta annos nati, adeo firmam pulmonum cum omnibus partibus vicinis vidi concretionem, ut ne minima pars ſeparari valuerit. Pericardium quidem cum pulmonibus coaluerat, ſed non cum corde.

viora, cor cum pericardio connectentia, ſæpius conſpexi, iis etiam in caſibus, in quibus major minorve aquæ turbidæ copia in pericardio aderat; detegebantur tunc in loco ſuperiori prope vaſorum origines, & ab anteriore, ac videbantur enasci ex ipſo humore, qui partes quasdam depoſuerat, in fila productiles; ſicque probabilis viſa fuit illorum ſententia, qui ſtatuunt, liquorem pericardii in fila abire, ſic ut cor piloſum dicatur (*h*); qui tamen pili nil quicquam ſunt, niſi liquor ſacci, cor complexi, qui in fibras præter naturam figitur; vel in lamellas mutari, ut cor quaſi gelatina obducatur (*i*), imo eandem aquam, paulo magis inſpiſſatam, in celluloſam telam vitioſam degenerare, quæ aut aliquam partem pericardii ad cor revincit, aut omnino totum cum pericardio cor unit (*k*). In cadavere autem fæminæ memorabilis viſa fuit tanta pericardii cum corde cohæ-

(*h*) Weitbrecht Nov. Comment. Petropol. Tom. 3. pag. 403. Boſe cordis villoſi hiſtoria. Lipſiæ 1771.

(*i*) Comment. Petropol. Tom. 3. pag. 268.

(*k*) Hiſt. de l'Acad. des Sciences 1760. pag. 45. Halleri Elem. Phyſiol. Tom. 1. pag. 285. ſeq. Conf. Meckel in Mem. de l'Acad. des Sciences de Berlin an. 1755. qui filamentorum nectentium ortum ſic etiam explicat, & octo obſervationes hujus præternaturalis nexus ſuperaddit.

cohæſio, ut, absque læſione hujus ſacci membranacei, absque ut externa cordis ſuperficies vulneraretur, partes hæ ſeparari non valuerint (*l*); eodemque in corpore pulmones firmiter cum pleura concreverant. An forte hæc pericardii cum corde morboſa concretio occaſionem dedit nonnullis, ut crediderint, pericardium omnino abfuiſſe? Sic videtur, ſic viſum fuit Hallero, aliis (*).

Nonne ſic etiam facile, ex concretione nempe cordis cum pericardio, pericardii cum pulmonibus, loborum pulmonalium inter ſe, explicatur hiſtoria cordis occulti, absque ut neceſſe ſit, conſumtionem & abſentiam pericardii ſtatuere? (**) Sic rem intel-

(*l*) Tales etiam obſervationes habet Morgagni de ſed. & caus. morb. Epiſt. 4. art. 9. Epiſt. 5. art. 19. Epiſt. 8. art. 6. Epiſt. 22. art. 4. 10. Epiſt. 24. art. 11. Epiſt. 25. art. 12. Epiſt. 30. art. 7. In aliis ex hisce caſibus nexus adeo firmus fuit, ut cor cum pericardio unum idemque corpus efficere videretur, in aliis vero cohæſio non tam firma fuit, quin digitorum ope, ſine ulla membranæ cordis aut pericardii laceratione, disjungi potuerit. Collegit varia exempla Hallerus Elem. Phyſiol. tom. 1. pag. 287. ſeq.

(*) Inſp. Zückert de morbis ex alieno ſitu partium thoracis. pag. 101.

(**) Enarratur hæc obſervatio in Diſſertatione, de corde occulto, Duisburgi ad Rhenum Præſide F. G. Barbeck ab Erhardo Brunnero 1701. defenſa. „ In viri triginta & aliquot annorum cadavere, pulmones rudes erant, conglobati ac conglutinati, non in partem dextram,

telligere videntur Medici Berolinenſes (†), &, in caſu, quem memoriæ prodidit Clar. de Haen (††), tale quid locum habuiſſe, legitur. Pulmones ita nexos invenit, ut ſimile quid nec viderit, nec legerit unquam. Nam non fuit in toto thorace, univerſoque pulmonum in ambitu, vel unicum punctum a cohæſione omnino liberum. Quippe cohærebat pulmo cum tota pleura, cum univerſo diaphragmate, integro cum pericardio, ſternoque. Modus autem cohærentiæ adeo firmus erat, ut nemo,

tram nec ſiniſtram nec in lobos diſtincti, nec mediaſtini beneficio adhærebant ſterno, ſed ei ſua ſubſtantia propria accreverant. Color pulmonum a naturali recedens ad cineraceum deflectebat. Quocunque modo volveretur pulmo, nullum apparebat cor, intra pulmones enim conglobatos ita erat occultum ac ſepultum, ut ſine ſectione nullo modo in conſpectum veniret; ideo quam primum pulmones accreti a pectore ſolvebantur, nec pulmonum in partem dextram & ſiniſtram diviſio, nec eorum loborum ſeparatio, nec cordis veſtigium reperiri potuit, donec cultro pulmones diſſecando, in medio eorum cor latitans, mollius, tenuius, & flaccidius, nullo pericardio, aut ejus humore præditum inventum fuit, ſed connexum & annatum tota ſua ſubſtantia intus pulmonibus, uti recens nux juglans eſt ubique cortici viridi ambienti. Cum pulmones æqualiter in duas partes eſſent diviſi, quoque in qualibet ejus parte, media cordis diſſecti pars, firmiter ubique adhærens conſpiciebatur, ita enim annatum erat cor pulmonum ſubſtantiæ, ut nullibi ab iis divulſum eſſet".

(†) Act. Medic. Berolin. Dec. 1. vol. 7. pag. 81.

(††) Rat. med. vol. 1. pag. 109. edit. Leid.

mo, citra dilacerationem, vel minimam ſolvere portionem poſſet. Connectebat enim eosdem tenaciſſima, non dilatabilis, & ubi vi partes a ſe invicem diſtrahebantur, vix ſemilineam craſſa, celluloſa membrana. Imo toto ſiniſtro in latere, tenacitatis celluloſæ loco, vera reperta ſarcoſis; veluti ſi pleura degeneraſſet in craſſiſſimam carnem rubram, inſertam alte in pulmonum ſubſtantiam, ab eaque inſeparabilem, lobi quoque omnes inter ſeſe eadem tenaciſſima celluloſitate coivere. Pericardium interno pariete, ope ejusdem tenaciſſimæ texturæ celluloſæ, tam firmiter cum corde, ejusque auriculis, ſinibus, ac vaſis majoribus omnibus concreverat, ut ſolvere nemo, niſi lacerando, poſſet. Quod autem hoc in caſu maxime mirandum. Nemo vidit hominem hunc laborioſe reſpirantem, etiamſi quinquaginta gradus conſcenderet. Probantur itaque & hoc exemplo abunde, quæ in principio hujus capitis dicta ſunt.

Alius in fœtu, alius in nato homine, ſanguinis circulus eſt: in utroque per cavas ad ſinum dextrum defertur; in fœtu per foramen ovale apertum pars ſanguinis ſinum ſiniſtrum intrat, & qui in ventriculum dextrum deſcendit, non omnis pulmonibus traditur,

ditur, ſed, in pulmonalem arteriam protruſus, per canalem, quo hæc cum aörta communicat, aörtam ingreditur, & per totum corpus propellitur; in adulto neque ſinus neque ventriculi inter ſe communicant, canalis arterioſus in ligamenti ſpeciem abiit, & ſanguis ex dextro in ſiniſtrum ventriculum pertingere nequit, niſi omnis per pulmones transeat. Turbari itaque debere videretur circulatio, ſi vel binæ hæ viæ, vel altera, apertæ eſſent; multo minus tamen inde enasci videtur impedimentum (*ll*), quam ſi in fœtu via omnino clauſa eſt (*m*), multo minus, quam theoreticæ ſpeculationes docent; aliquoties enim canalis arterioſus apertus inventus eſt (*n*), longe ſæpius foramen ovale (*o*). Sexies ſaltem ſeſe talis defectus concretionis hujus viæ mihi obtulit, in cadaveribus hominum diverſæ ætatis, ſenis etiam & vetulæ, licet in omnibus caſibus apertura non æque magna

(*ll*) In vetulá non minus, quam in fœtu, patulum vidit Albinus. Annot. Acad. lib. 1. cap. 9.

(*m*) Vieuſſens traité ſur la ſtructure du cœur. pag. 35. Vid. caput I. pag. 21. 22.

(*n*) Confer. caput I. pag. 34.

(*o*) Rœderer de ſuffocatis ſatura Opuſc. pag. 288. ſeq. Haller Elem. Phyſiol. Tom. 8. part. 2. pag. 12. Ovale foramen non patens tantum, ſed ſua valvula carens, memorat Morgagni de ſed. & cauſ. morb. Epiſt. 48. art. 62.

magna fuerit; ſubinde non niſi aër penetravit; in aliis caſibus tubum, quo Anatomici uti ſolent, ordinariæ craſſitiei, in aliis craſſiſſimum, admiſit, imo quandoque ferme tota aperta fuit. Fuerunt, qui aperturam foraminis ovalis a ſubmerſionis vel ſuffocationis periculo homines immunes reddere poſuerunt, ſed & in ſubmerſis (*p*) & in ſuffocatis (*q*) nondum clauſam fuiſſe hancce viam legimus.

Maxima valvularum neceſſitas eſt, & circulatio turbatur, his vitio quodam adfectis. Occurrunt tamen tales valvularum, præcipue arteriæ aörtæ, degenerationes, quæ, non cito, ſed pedetentim enatæ, docent, diu talia mala ſubſiſtere poſſe, antequam vel notabiles vel adeo fatales producant effectus, quos inde derivant Autores (*r*), licet fatendum, in omni-

(*p*) Roederer lib. cit. pag. 285.

(*q*) Stolte de morte ſuſpenſotum pag. 15. Haller Elem. Phyſiol. Tom. 3. pag. 252. Tom. 8. p. 2. pag. 14. Qui, ut etiam Doct. Stolte, varia obſervata collegit.

(*r*) Cordis aneurysma, cum duæ valvulæ ſemilunares cartilagineæ eſſent, Lanciſius de motu cordis & aneurysmatibus. Oper. var. tom. 2. pag. 250; mortem ſubitam & cor ampliſſimum, ex valvulis aörtæ ad parietes arteriæ adnatis Littre Mem. de l'Acad. des Scienc. 1713. Raiger Eph. N. C. Dec. 1. ann. 3. obſ. 282. pag. 498; pulſum interceptum, artuum gangrænam, cordis molem inſolitam, cum valvulæ oſſeæ

omnibus corporibus, in quibus illa obſervavi, hydropem, & ſæpe varias ipſius ſpecies, adfuiſſe. In cadavere vetulæ, edentulæ, quæ ſeptuageſimum ætatis annum ad minimum attigiſſe videbatur; præter calculum renalem, tumorem ſingularis naturæ, poſteriori parti uteri accretum, de quo his in obſervationibus alio loco dicetur, arteriæ aörtæ variis in locis oſſificationes, præprimis rami cæliæcæ, qui ad lienem tendit; tres valvulas, orificio aörtæ adpoſitas, adeo duras, revera oſſeas vidi, ut figura ipſarum nullo modo mutari poſſet, & orificium maxime anguſtarent, ſic tamen, ut ſanguinem a corde admittere valuiſſent, non vero ex aörta, ſeſe contrahente, reditum impedire. Cordis magnitudo, & ventriculorum capacitas, tamen erant naturales. In aliis corporibus, induratis, cartilagineis, oſſeis particulis obſeſſas valvulas vidi, ſic ut tamen officio ſuo functæ fuiſſe viderentur (*s*).

Ut

oſſeæ aörtæ oſtium non clauderent, Cowper Myotom. tab. 40. Fig. 4. 6. notarunt. Inſp. etiam Baader Obſerv. medic. inciſionibus cadaverum illuſtr. obſ. 40. pag. 190. Alii alia mala inde derivant. Abhandl. der Schwediſchen Akad. Band. 27. pag. 307. Band. 29. pag. 175. & Geneesk. Verhandl. aan de Sweedſche Akademie medegedeeld door J. B. Sandifort. III. D. pag. 313. ſeq. IV. D. pag. 10. Medic. Transact. vol. 3. pag. 12. ſeq. Conf. caput præcedens.

(*s*) Conf. Morgagni de ſed. & caus. morb. Epiſt. 23. art. 9.

Ut in præcedenti caſu indureſcunt, craſſeſcunt, immobiles redduntur valvulæ, ſic in aliis eroſæ, laceratæ, disruptæ quaſi, videntur, quale quidem vitium frequentius in valvulis ſigmoideis arteriæ pulmonalis, quam in ſemilunaribus aörtæ, locum habere ſtatuitur (*t*). Sanguine quippe magna vi ab obſtructis pulmonibus verſus cor redeunte, fit, ut inter robuſtiores, nitentesque fibras aliqua pars valvulæ cedat, divellatur, rimisque porro ea oſtiola pateant in modum reticuli (*v*). Quales Cowper (*w*) atque Baſſius (*x*) delinearunt, valvularum lacerationes bis obſervavi, in altero caſu talia foramina, tubum, quo Anatomici uti ſolent, facillime admittentia, in omnibus conſpexi; in altero tantum in unica (*y*); ſed hæc valvularum, a multis adnotata, degeneratio, non tantam mereri videtur attentionem, quantam exeſio, laceratio, quam in cadavere fæminæ, omni ferme hydropis ſpecie laborantis, anno 1771. vidi. Et hæc tanto magis notanda atque delineanda videtur, quoniam Lanciſius, cui ſimile quodammodo vitium

(*t*) Mummsſen de corde rupto pag. 38.
(*v*) Halleri Elem. Phyſiol. Tom. 1. pag. 339.
(*w*) Myotom. reform. tab. 38. fig. 3. a. a. a.
(*x*) Obſerv. Dec. 1. tab. 1. fig. 2. h. h. h. h.
(*y*) Inſp. Morgagni Epiſt. Anatom. 15. n. 19. pag. 92.

vitium ſeſe exhibuit in illuſtriſſimo Spada, dixit, cor interius raram ac memoria hominum æternum duraturam rem exhibuiſſe, ſcilicet ad oſtium arteriæ magnæ, in ſingulis valvulis ſemilunaribus, adfuiſſe inæqualia quædam, ac exigua, ſarcomata, quæ in fimbrias & lacinias, inſtar condylomatum, protenſa, intra aörtam inclinabant, neque interim a valvulis citra ſciſſuram ſeſe avelli patiebantur, ut nullum propterea fuerit dubium, quin ex productis valvularum fibris, vaſisque nata, non vero per ſimilem adhæſionem compacta, corpora illa penderent (*z*); & poſtea fatetur, tale vitium in tot obſervatis cadaveribus nunquam ipſi fuiſſe compertum, nec adhuc ex aliorum lectione cognitum (*a*); ac raram adeo talem valvularum lacerationem, & in varias lamellas diviſionem, habuit Meckelius, ut fateatur, ſe nunquam magis fuiſſe miratum, quam ubi tale quid detexit (*b*). Vidi ergo in dicto cadavere trium valvularum lacerationem, & excreſcentias varias, majores, minores, ex illis enatas. Primæ valvulæ

(*z*) De ſubitaneis mortibus lib. 2. obſerv. 4. Oper. Var. tom. 1. pag. 43.

(*a*) Ibid. pag. 44.

(*b*) Memoir. de l'Acad. de Berlin 1755.

læ (*c*) margo tantum vitiatus erat, & in excreſcentias majores, minores progerminabat (*d*), ſecunda valvula (*e*), majorem paſſa erat mutationem, & tuberculorum ſeu excreſcentiarum magnum etiam monſtrabat numerum (*f*); inter hanc atque tertiam ipſa orificii hujus arterioſi membrana non tantum eroſa erat, verum foramen ſatis notabile conſpiciebatur, ad ipſam arteriæ ſubſtantiam alte penetrans, eo loco, ubi inferior tertiæ valvulæ pars cum orificio hoc cohæret (*g*). Maximam ſubierat mutationem tertia valvula (*h*), hæc etenim non tantum inæquabilis erat, & variis majoribus minoribus eminentiis exaſperata (*i*), verum in ipſo margine foramen erat ſatis notabile (*k*); in aqua autem explicata ubi fuerat hæc valvula, conſtitit, foraminis tantum ſpeciem adfuiſſe, dependebat tunc lamella inſignis (*l*), evanuit totum foramen, ſed lamella hæc ſingulari modo mutata erat, ut præprimis patuit, quando microſcopio fuit luſtrata (*m*). Siniſter cordis ventriculus maxime fuit dilatatus, & adeo

(*c*) Tab. III. Fig. 6. b.
(*d*) Tab. III. Fig. 6. c. c. c.
(*e*) Tab. III. Fig. 6. d.
(*f*) Tab. III. Fig. 6. e. e.
(*g*) Tab. III. Fig. 6. f. g.
(*h*) Tab. III. Fig. 6. h.
(*i*) Tab. III. Fig. 6. i. i.
(*k*) Tab. III. Fig. 6. k.
(*l*) Tab. III. Fig. 7. b. c.
(*m*) Tab. III. Fig. 8.

eo capax, ut dextrum multum ſuperaret. In ipſo hoc oſtio arterioſo, loco magis inferiori, eroſa conſpiciebatur tunica interna (*n*), quales eroſiones aliquoties ſeſe mihi in aörta obtulerunt. Semel præprimis in parte poſteriore aörtæ tantam eroſionem vidi, ut delineationem ipſius dandam eſſe cenſuerim. In hac etenim aörta (*o*), ad omnia arteriarum intercoſtalium orificia (*p*), interna tunica tota conſumta erat atque exeſa, ſic ut in omnibus illis locis de hac membrana nihil omnino ſupereſſet. Dictu difficile, an a ſanguine intra cordis cava, aut vaſa majora, verſante, hæc eroſio facta fuerit, an inflammationi ſimilive vitio tunicarum adſcribenda ſit, ſed hanc degenerationem, ex quacunque cauſa ortam ſtatuas, aneuryſmatibus tum veris tum ſpuriis anſam dare poſſe, vix explicatione indiget; tunica enim interna, quæ canalis capacitatem proprie efficit, apta, quæ ſanguinem contineat, & libere facileque ruere ſinat (*q*), deſtructa, muſcularis, craſſiſſima quamvis, ex fibris firmis, duriſque, ſed ſimul flexibilibus conſtans, & magis adhuc nervea, in celluloſam ex-

(*n*) Tab. III. Fig. 6. l.
(*o*) Tab. III. Fig. 9.
(*p*) Tab. III. Fig. 9. a-k.
(*q*) Albini Annot. Acad. lib. 4. cap. 8.

exeuns, cedere poteſt, imo debet, & in tumorem inſignis magnitudinis a ſanguine expandi, qui vel oſſeas partes accumbentes conſumit, vel medio loco exit, &, extendi ulterius recuſans, demum disrumpitur (*r*).

Non ſolæ valvulæ, ut antea oſtenſum fuit, vel cartilagineæ vel oſſeæ evadunt, ſed in aörta talis præternaturalis durities ſeſe anatomicis monſtrare ſolet (*s*). In principio ampliſſimi hujus vaſis varias ſquammas oſſeas aliquoties vidi; in alio cadavere arteriæ innominatæ, ſeu trunci Loweriani, tantam duritiem oſſeam conſpexi, ut figura ipſius vel maxima compreſſione mutari non valuerit; in cadavere vetulæ, de cujus valvulis ſemilunaribus, in os mutatis, ſupra dictum eſt, ramus arteriæ cæliacæ, quæ ad lienem tendit, canalem tortuoſum, totum oſſeum retulit; in binis finis aörtæ, & principia iliacarum arteriarum, eodem modo erant mutata.

(*r*) Conf. Verbruggen Diſſ. de Aneurysmate pag. 84. ſeq.

(*s*) Exempla collegerunt plurimi, & inter alios Trillerus Diſſert. de ſame lethali ex calloſa oris ventriculi anguſtia. art. 27. Opuſc. Tom. I. pag. 24. ſeq.

C A-

CAPUT TERTIUM.

De Hernia veſicæ Vaginali.

Plurimis in locis Herniæ oriuntur, & vix ullum viscus, abdomine contentum, datur, quin tumorem hujus naturæ ſubinde produxerit (*a*). Rarius tamen ſeſe monſtrarunt in parte pelvis inferiore, ſic ut ſeſe in viris in perinæo, in fæminis in perinæo aut in vagina, exhibuerint (*b*). Favet tamen origini harum herniarum ſitus partium in pelvi, & probat noſtra etiam experientia, ſubinde illas dictis in locis ſeſe manifeſtare.

In viro veſica urinaria, ab anteriore oſſibus pubis accumbens, a poſteriore cum inteſtino recto connectitur. In fæmina medius inter veſicam & rectum inteſtinum uterus eſt. Inveſtit autem partes ſingulari ratione peritonæum.

Hoc

(*a*) Conf. J. T. Klinkoſch Programma de diviſione herniarum in noſtri Theſauri Diſſert. vol. 2. pag. 383. & Diſſ. Medic. Select. Pragenſ. vol. 1. pag. 181. ſeq. R. A. Vogel herniarum communia attributa & partitio. F. B. de Sauvages Noſologia Methodica Tom. 1. pag. 189. ſeq.

(*b*) Hoin Eſſai ſur des hernies rares & peu connues, joint a la nouvelle methode d'operer les hernies par M. le Blanc. pag. 250 - 340. Klinkoſch, Vogel, Sauvages. lib. cit.

Hoc in pelvim deſcendit ante inteſtinum rectum, illud involvit, laterales partes tegit; ab inteſtino ad veſicam tendens plicas facit ſemilunares, veſicam adit ſupra ureteres, qui ſunt in celluloſa, peritonæo undique circumpoſita, & ſupra ductus deferentis gyros, atque veſiculas ſeminales, quæ pariter peritonæi ſacco non comprehenduntur. In fæmina ab inteſtino & partibus lateralibus ad transverſam vaginæ partem pertingit, pone illam adſcendit, duas tertias partes tegens, utero externam tunicam dat. Ab inteſtino ad uterum adſcendens plicam format, infra quam cavea eſt, inter rectum inteſtinum & vaginæ principium deorſum producta. Inter uterum & lateralem partem pelvis ſimiliter adſcendit peritonæum. Ubi ad ſummum uterum pervenit, deſcendit iterum, anteriorem ipſius partem inveſtit ferme ad ortum vaginæ, ſurgit tunc ad veſicam urinariam, eamque attingit ad duos digitos ſupra ureterum inſertionem, inveſtit veſicæ poſteriorem & ſuperiorem partem, ad oſſa pubis, quibuscum veſicæ anterior pars celluloſæ ope connectitur, pertingit, ſeſeque reflectens muſculos abdominales illinit. Hærens ergo in media pelvi uterus una cum ligamentis, peritonæi etiam productionibus, pelvim in partem anteriorem & poſte-

poſteriorem dividit, quarum hæc profundior illa eſt (*c*).

Dictas productiones ſeu cæcas caveas intrare inteſtina valent, & iis incumbens omentum, ac harum fundum extendere, ſic ut cedentibus, quæ peritonæo hoc in loco accumbunt, partibus, vel in perinæo, vel in vagina, vero hernioſo tumore promineant; poteſt etiam vagina, ubi impoſitam ſibi inferiorem partem veſicæ urinariæ ſuſtinet, cedere, ac permittere, ut veſica, eo verſus maxime depulſa, deſcendat, & in ſuperiori vaginæ parte herniam formet. Utramque herniæ ſpeciem obſervare licuit. Poſteriorem in virgine viginti quinque annorum, feliciter a ſuo morbo liberata; priorem in cadavere vetulæ, quod veram herniam inteſtinalem in parte poſteriore vaginæ monſtravit.

De Hernia veſicæ vaginali, a paucis animadverſa (*d*), primo loco dicam.

Vir-

(*c*) Haller Elem. Phyſiol. Tom. 6. pag. 348. 349. Tom. 7. pag. 302.

(*d*) Plurimi Auctores non niſi unicam obſervationem citant, quam Doct. Robert cum Academia Chirurgorum Pariſina communicavit. Mem. de l'Acad. de Chir. Tom. 2. pag. 33. Hæc in gravida fuit viſa. In parturiente, quæ juxta obſtetricis opinionem prolapſu vaginæ laborabat, tumorem in parte ſuperiore vaginæ obſervavit Henckel, qui compreſſione imminuebatur, &, urinâ emiſſâ, penitus diſparebat,

H veram

Virgo, viginti quinque annorum, a pluribus annis paſſionibus hyſtericis violentis obnoxia, tuſſi convulſiva corripiebatur, quæ, ſemper ſicca, vix ullis antispasmodicis auſcultabat. Ceſſante tamen poſtea tuſſi, ſuppreſſio urinæ inſequebatur, venter tenſus erat, maxime doloroſus, &, nil juvantibus aliis mediis, cathetere evacuata, difficulter tamen, veſica eſt. Rediit hæc ſuppreſſio ſæpius, præcedente ſemper tuſſi convulſiva, & non raro illam concomitabantur convulſiones, tum demum ceſſantes, quando in animi deliquium cadebat, quod ſæpius etiam accidit, ubi catheter immittebatur. Difficultas, quam in inſtituendo catheterismo percipiebat chirurgus, pondus, de quo conquerebatur in parte anteriore genitalium, dolor, quando urina maxime ſupprimebatur, in pube ſummus, effecerunt, ut ipſe pubem & genitalia examinaverim. In regione hypogaſtrica prope pubem, licet tenſa & doloroſa, talis tamen non percipiebatur tumor, qualis cæterum hoc in loco adeſt, quando diſtenta ultra modum veſica lotium

veram itaque veſicæ herniam. Siebende Sammlung medieiniſchen und chirurgiſchen Anmerckungen pag. 5. Superaddidit caſum, a Medico Divionenſi Chausſier enarratum Hoin lib. cit. pag. 368. Præter hos non multi deſcripti videntur, ſi complicati morbi, in quibus prolapſam vaginam, vel uterum, veſica inſequuta eſt, excipiantur.

tium non dimittit. Immiſſo prudenter vaginæ digito, impoſſibili eo tempore urinæ excretione, tumorem inſignem, vaginam totam occludentem, parieti ipſius ſuperiori continuum, percepi, fluctuantem humorem continentem, quo compreſſo conatus ad mingendum enascebantur, nulla vero urina exibat; immiſſo autem cathetere magna urinæ copia evacuabatur, attamen vel tunc non omnis, niſi compresſione facta. Subinde absque ullo auxilio urinæ copiam emittere valebat, evacuare autem veſicam non niſi compreſſo tumore, quando inſignis ſemper adhuc expellebatur quantitas. Tumore plane evacuato catheter in vagina percipi commode poterat; tumor diſparebat, partes vaginæ ſuperiores laxæ, flaccidæ propendebant, uterique orificium attingi digito facile potuit, donec collecta rurſus urinæ copia tumorem diſtenderet, & diſtenſione validiore inſignis dolor, urinæ ſuppreſſio, &, niſi catheter in tempore immittebatur, convulſiones ſupervenirent; videtur acritate urinæ ſenſim etiam arroſa fuiſſe veſicæ interna tunica, etenim quum aliquamdiu jam duraverat malum, quæ antea ſana erat & naturalis urina, floccos, ramenta quaſi tunicæ internæ, monſtravit, & ab eo tempore longe ſæpius, dolore quippe ob ſenſibili-

tatem veſicae majorem adaucto, catheter erat immittendus, quod ipſa didicit, ſic ut auxiliatrices ſibi praebere manus aliquoties de die potuerit.

Peſſarium ſolum eſſe medium, quod ſpe quadam ſucceſſus in uſum vocari poſſet, facile perſpexi. Sed hoc tali erat conſtruendum modo, ut ſemper in vagina retineri poſſet, nec tempore menſtruorum, irregulariter fluentium, tolli deberet, ſimul tamen, anteriorem vaginae partem ſuſtinens, impediret, quominus hic loci veſica iterum deſcenderet. Curavi itaque, ut peſſarium fieret ex arundine, qua piscatores utuntur, accommodatum longitudini vaginae, cera obductum, ſic tamen ut ſpongiae ſiccisſimae pars alteri ipſius lateri adnecteretur, eum in finem, ut haec, humore intumescens, anteriorem vaginae partem ſuſtineret commode. Tale ſcopo optime ſatisfecit, dum ſimul curatum fuit, ut, reiterato catheterismo, impediretur, quominus veſica lotio retento multum extenderetur. Per annos peſſario hoc uſa fuit, poſteaque faſſa eſt, ſe, etiamſi pesſarium non amplius in auxilium vocaret, nullam omnino in excernenda urina percipere moleſtiam.

Laxatam continuo partu vaginam herniae veſicae hoc in loco anſam dare poſſe, enarratae ab aliis obſer-

ſervationes probant, ſed eundem morbum, absque laxitate tali praegreſſa enasci poſſe, caſus hujus aegrae, cui vagina dictâ causâ relaxari non valuit, abunde docet. Per tuſſim pertinacem, continuam, convulſivam, in laxioris habitus virgine, depulſam fuiſſe veſicam, &, cedentibus vaginae fibris, herniam formaſſe, docent ſimiles herniarum, in aliis locis obſervatarum, cauſae.

Signa herniae veſicae, in vagina ſeſe manifeſtantis, ponit Hoin (*e*), abſentiam tumoris in regione hypogaſtrica ſupra oſſa pubis, praeſentiam vero ipſius in vagina; augmentum voluminis, collecta urinae copia; decrementum, facta compreſſione, aut immiſſo cathetere, & ejus ope evacuato lotio. Conſentit Levretus (*f*), &, ſi ad enarratum caſum attendimus, illa ſigna omnino etiam fuerunt animadverſa, adeoque nullum dubium ſupermanet de praeſentia morbi, & notata ab aliis diagnoſis tanto redditur certior.

Ut curaretur malum, nec poſtea ſeſe iterum manifeſtaret, loco dimotarum partium reductio, & in ſede naturali retentio, requirebantur. Eva-

(*e*) Lib. cit. pag. 374. 375.

(*f*) Obſervations ſur la cure radicale de pluſieurs polypes &c. pag. 142. ſeq.

Evacuata catheteris ope veſica, commodo in ſitu poſita ægra, ſic ut pelvis elatior eſſet partibus corporis ſuperioribus, reductio facillima fuit, retentio non adeo commoda. Solus ſitus per longum licet temporis ſpatium continuatus, confortantium medicaminum pubi & genitalibus applicatio, non ſufficiebant, ſed requirebatur peſſarium, quod partes non ſolum ſuſtinere, ſed etiam impedire poſſet, quominus ſeſe verſus vaginam veſica extenderet, nec tamen fluxus menſtrui excretionem prohiberet. Suaſerunt quod a ſimilitudine cum dolii operculo nomen habet, in medio perforatum, ac binos gerens funiculos, quorum ope extrahi poſſet. Tale autem ſcopo non ſatisfecit. Venit itaque in mentem ſpongia, quæ, loco ſeſe optime accommodans, ſuſtinere debebat partes, nec facile excidere poterat, vidique poſtea, eandem ab Hænelio in caſu herniæ inteſtini, ſeſe in vagina monſtrantis, jam fuiſſe adhibitam, laudaſſe etiam Gunzium tanquam peſſarii genus, utilitatem magnam habens, ſeſeque inteſtinis, deorſum nitentibus, optime opponens (*g*). Perſpexi autem incommoda talis ſpongiæ, menſtruum ſanguinem quippe non transmittentis, abſorbentis e con-

(*g*) Obſerv. Anat. Chir. de herniis pag. 86. 87.

contra & retinentis humores excrementitios, qui arrodere, irritare, inflammare partes debent; & hæc ratio fuit, quod ex binis quaſi ſpeciebus unicam compoſuerim, quæ talem præſtitit effectum, ut commendabilis videatur, & difficulter parando peſſario, quod Cel. Hoin (*h*) laudavit, opus non ſit, licet, mollius quippe, vicinis partibus compreſſione non moleſtum eſſe poſſit.

Ab aliis, ut dictum, in gravidis & parturientibus idem viſum fuit malum; adfirmavit etiam vir doctisſimus, obſtetricans dexterrimus, medicus pariter peritiſſimus, Brand, ſe ter hanc herniæ ſpeciem obſervaſſe; prima vice in cadavere fœminæ, ipſo in partu mortuæ, quam nec inſtrumentis (ob anguſtatam per tumorem inſignem, inter vaginam & inteſtinum rectum hærentem, maxime pelvim) nec ſectione Cæſarea, quam inſtituere non permiſit maritus, a fœtu liberare valuerat. In hoc cadavere tumor magnus, niger, compreſſilis ſub oſſium pubis arcu elapſus, conſpiciebatur, qui compreſſus per uretræ oſtium urinam emittebat. Altera vice in parturiente, ad quam paucis ante mortem horis vocatus erat: in hac ſub osſium pubis arcu & commiſſura labiorum ſuperiori tumo-

(*h*) Lib. cit. pag. 262.

morem nigrum vidit, qui, ab obſtetrice pro capite infantis, velamentis adhuc tecti, habitus, rite dein examinatus, erat turgida veſica urinaria, foras pulſa, unde per catheterem flexilem, per uretram immisſum, magnam lotii ſanguinolenti copiam eduxit. Spatium nactus, in fœtus ſitum inquirens, uterum in parte poſteriore fiſſum invenit. Tertia denique vice in fæmina, ultimi geſtationis menſis initio conſtituta; tumor, totam vaginam replens, matricis oris labio anteriori continuus, urinæ majori, quam intra octo dies emiſerat, copia expulſa, imminuebatur, retento lotio magnitudine iterum auctus; fœtu poſtea arte extracto, altero die veſica, quæ a partu urinam non dimiſerat, profunde in vaginam deſcendebat; quare, evacuata per catheterem flexilem veſica, tumorem multum imminutum leviter ſurſum egit, & peſſo ex linteo carpto fulſit; urinam dein, licet non ſine difficultate, emiſit, quum vero puerperium relinqueret, fasciam T dictam cum ſpleniis genitalibus ſubdidit, quibus adjuta ſenſim ad priſtinum ferme ſtatum rediit; disparuit tumor, ſed veſica ſpatium, ſeu finem cæcum, qui inter uteri cervicem & parietem vaginæ anteriorem eſt, ita replevit, ut ne veſtigium quidem de eo ſuperſit.

C A-

CAPUT QUARTUM.

De Hernia inteſtino-vaginali, aliisque hujus morbi ſpeciebus.

Plura, quam Herniæ Veſicæ vaginalis, inteſtinorum, in vagina hernioſo tumore protuberantium, exſtant exempla (*a*), non tamen tot, quin memoratu digna ſint ea, quæ ex cadavere vetulæ, anno 1776. ad noſtrum theatrum eum in finem delato, ut operationes chirurgicas inſtituerem, hoc de morbo notavi.

Emaciatum corpus quum examinabam, in oculos incurrebat tumor, ovatus, vaginæ orificium non tantum claudens, ſed & ultra illud prominens, vulvæque labia inſigniter deducens. Venter, complanatus, ferme vacuus videbatur, & dorſi ſpina non tantum tactu percipi, ſed & prominentia ejus per velamenta abdominis oculis cognosci poterat. Tumor in vagina, ad attactum mollis, ſaltem non ultra modum tenſus, ex parte poſteriore vaginæ proveniebat, digitusque, ſupra illum infra aperturam uretræ propulſus,

(*a*) Nonnullos caſus collegit Gunzius obſervat. de herniis pag. 83. ſeq. longe plures Hoin lib. cit. pag. 252. ſeq.

ſus, uteri orificium demum attingebat. Repulſus & compreſſus tumor mox ſeſe reſtituit, partesque, intra tumorem contentæ, compreſſione in abdominis cavum actæ, illa ceſſante, deſcendebant. Poſtquam cadaver ſcopo inſervierat, abdomen aperui, cupidus, detegendi, qualis tumor eſſet, ac undenam ortum ſuum traheret atque originem. In abdominis cavo vix inteſtina inveniebantur. Ex duodeno enascens, jejunum detractum maxime erat, ileumque totum in pelvi delitescebat; hujus vero maxima pars, inter uterum atque rectum inteſtinum descendens, foramen quoddam ingrediebatur, quod digitum, juxta tractum inteſtini protruſum, facile admittebat, tantæque erat amplitudinis, ut inteſtina retrahi, & in abdominis cavum reduci commode poſſent. Tumor, vaginam antea occludens, imminuebatur retracto inteſtino, foramini autem immiſſus digitus, & ad vaginam propulſus, tumorem iterum extendebat. Videbatur peritonæum ibi loci, ubi foramen aderat, laceratum, & tum ab inteſtino tum a poſteriore parte uteri divulſum, tanto magis, quoniam laciniæ bene multæ utrique adhærebant parti, lacerati peritonæi quaſi reliquiæ; ſed accuratiori examine conſtitit, revera protruſum peritonæum eſſe, ſaccumque

ab

ab eo formatum, qualis in omnibus herniis adeſſe ſolet, niſi rariori exemplo peritonæum fuerit disruptum; lacinias vero non eſſe, niſi præternaturales membranas, ab utero ad rectum tendentes, ſic ut inter illas foramen, inteſtinorum tractum complectens, relinqueretur; quales membranæ tubas, ovaria, ligamenta, uterum, ſic connectebant, ut partes hæ vix ac ne vix quidem ab invicem ſeparari valuerint.

Vera itaque adfuit hoc in caſu Hernia inteſtini, elapſi inter uterum atque inteſtinum rectum, quæ parietem poſteriorem vel inferiorem vaginæ ſic protruſerat ſuperiora & exteriora verſus, ut anteriorem ſeu ſuperiorem parietem contingeret, vulvamque omnino clauderet.

Qualia autem incommoda exinde paſſa fuerit mulier, enarrare plane nequeo, nihil enim de morbis prægreſſis reſcire valui. Sponte profluunt ex mutato naturali partium ſitu, & inde derivanda diſtractione, ex preſſione tumoris in vicinas partes, arctatione viæ, quæ ducit ad uterum. Rariores vero cum tales caſus ſunt dicendi, lubet ſuperaddere, quæ ex obſervationibus, hoc de morbo communicatis, quoad naturam mali concludi poſſunt.

 Om-

Omnes herniæ hujus generis, hactenus viſæ, ſi pauciſſimæ excipiantur, vel in puerperis, vel in gravidis, vel in fæminis, quæ antea pepererant, ſunt animadverſæ, ferme ſemper formatæ ab ileo, raro a parte coli & cœco. Tumoris magnitudo varia fuit, locus etiam non ſemper idem, nunc etenim ſe in anteriori, nunc in laterali, nunc in poſteriori vaginæ parte monſtravit. Subito in aliis, in aliis lente, enatus legitur. Plerumque peritonæum ſaccum formavit, rarius disruptum eſt. Cum inteſtino omentum etiam excidit, & inteſtinali herniæ veſica ſeſe etiam adjunxit, vel & alii hoc in loco morbi eodem tempore fuere viſi. Validi conatus, ſive ad ſublevanda pondera, ſive ad duriores fœces expellendas, concuſſio viſcerum, vel alia conamina, morbi cauſæ extiterunt. Favit ipſi diſtenſio & laxitas vaginæ, multiplici, laborioſo præprimis, partu producta. Tumor ovatus, æquabilis, tenuis, mollis, ſic ut tactu inteſtinum percipi potuerit, nullo foramine pertuſus, major in ſtante, quam in decumbente & tunc ſæpe disparens, poſt memoratas cauſas enatus, diſtractiones, & dolores ſtomachi, nauſeæ, vomitus, difficilis urinæ excretio, herniam inteſtino-vaginalem prodiderunt, omniaque hæc ſymptomata, ſuperveniente conſtrictione, aucta ſunt.

ſunt. Confirmavit præſentiam mali, inteſtinorum, facta compreſſione, in abdomen cum murmure regreſſus, vacuo tunc ſacco; reditus eorundem, ſacci extenſio, ceſſante compreſſione, incedente, tuſſiente ægra. Confirmavit exploratio orificii uterini, quod vel pone vel ante tumorem, vel in oppoſito ipſi latere, detegebatur, unde præſertim colligi potuit, per quemnam locum partes eſſent protruſæ. Ubi inter veſicam atque uterum hernia ſubſtitit, tumor apparuit in parte anteriore; pone eundem orificium uteri delitescebat; difficilis excretio urinæ fuit corpore erecto; dolores frequentiores, acutiores, in ſtante, quam in decumbente, percipiebantur; dolebat regio hypogaſtrica a latere herniæ. Quando inteſtinum inter rectum & uterum herniam formabat, tumor aderat in parte poſteriore vaginæ, orificium vero uteri in parte anteriore. Reductio, taxi commode peracta eſt, decumbente ægra, ſic ut abdominales musculi maxime esſent relaxati, & corpus inclinatum in latus, ſedi mali oppoſitum. Præſente conſtrictione clysmata, venæſectiones, injectiones, fotus utilitatem adtulerunt. Tentata hactenus nondum operatio. Reductas partes optime retinuit peſſarium, ad figuram operculi dolii formatum; robo-

ravit injectio adſtringens, toties adminiſtrata, quoties depurationis cauſa tollebatur peſſarium, niſi impedimenta adeſſent, menſtruorum lochiorumve evacuatio. Juvit decubitus in dorſo, ſic ut pelvis elatior eſſet. Peſſarium per longum temporis ſpatium in uſum tractum eſt, ſi herniæ erant inveteratæ, & laxa admodum vagina. In nonnullis caſibus tamen, trium quatuorve menſium ſpatio, illud perfectam adtulit ſanitatem, ſed herniæ recentes, ægræ juniores, fortisque conſtitutionis fuerunt (*b*).

Quæ de aliis herniarum ſpeciebus notanda habeo, hæc ſunt.

In quoque latere herniam inguinalem adfuiſſe, aliquoties viſum eſt. Duplicem talem in ſene conſpexi; major dextra, minor ſiniſtra, tantopere diſtendebant ſcrotum, ut ad genua usque tumor pertingeret, ac teſtium penisque vix veſtigium detegeretur. Urina juxta tumorem per aperturam ſolitam profluebat. Fiſſura obliqui externi abdominis musculi, in dextro præprimis latere, inſigniter dilatata, tantopere hiabat, ut miſer inter femora, juvantibus manubus, tumorem, hic illic calloſum, comprimens, in-

(*b*) Conf. Hoin lib. cit. pag. 355. ſeq.

inteſtina facile repelleret in abdomen. Vacuus tunc hoc in latere ſaccus permittebat, ut ſiniſtri lateris hernia tanto facilius examinari poſſet, hæc autem licet comprimeretur, vix regreſſum elapſorum permittebat. A repulſis ex hernia majori inteſtinis tanta miſero enascebantur incommoda in abdomine, ut gauderet, ubi, ſublata preſſione, ſaccum libere rurſus intrabant partes.

Ut in præcedenti caſu in quoque latere adfuit hernia inguinalis, ſic in uno eodemque latere binos ſaccos hernioſos ſeſe monſtrasſe, hoc in loco, notatum eſt; & ipſe talem caſum antea memoravi (*c*). Nonne hi caſus intelligi valent ex nota jam formatione tunicæ vaginalis teſtis? Conſtat enim, decumbentes in lumbis fœtuum teſtes peritonæo a parte anteriore tegi; teſtes deſcendere, peritonæum ſecum trahere; egredi teſtes ex abdomine, peritonæum tunc, ſimiliter ex abdominis cavo elapſum, canalem formare, ad inferiorem teſtis partem, cui canali, in cæcum finem deſinenti, a poſteriore accumbit funis ſpermaticus & teſtis; canalem ſupra teſtem ſeſe claudere, formari hoc pacto tunicam vaginalem; canalis partem ſuperiorem in neonatis plerumque esſe apertum (*d*). Nonne hæc via

(*c*) Natuur-en Geneesk. Bibliotheek V. D. pag. 354. a.

(*d*) Conferri omnino merentur Halleri Opuſcula Pathologica et Oper.

via ſæpius occaſionem herniæ præbere poteſt, inteſtinis meatum hunc intrantibus? Nonne in adultis aperta hæc via eſſe potuit (ut in adulto omnino apertam vidi) & inteſtinum admittere; dum ſimul a latere ipſius præternaturalis peritonæi dilatatio verus ſaccus hernioſus fuit exortus? Sic videtur.

In fæminis frequentiores Femorales Herniæ, quam in viris. In vivente viro hæc olim ſeſe mihi monſtravit; concomitabantur illam omnia ferme ſymptomata, herniis propria; conſtrictione autem per emollientia externa ſublata, ſola taxi curata eſt. In cadavere viri, quinquaginta circiter annorum, in quoque latere aderat ſaccus, pollicem cum dimidio longus, a peritonæo formatus, qui, juxta vaſa cruralia deſcendens, ſub margine muſculorum abdominalium egrediebatur, et totus quidem vacuus, ſed tantæ capacitatis erat, ut ſine dubio inteſtinorum portionem antea admiſerat, & facillime etiam admittere poterat.

In fœtu parvo admodum, umbilicalem herniam, illap-

Oper. Min. Tom. 3. pag. 311. Hunter Medical Comment. P. 1. pag. 72. qui figuras addidit. Pot an account of a particular kind of rupture. Camper Verh. der Holl. Maatſch. 6. D. 1. ſt. pag. 264. Lobſtein et Nonnemann de hernia congenita. Arg. 1771. &c.

illapſis inteſtinis in principium funis, vidit, delineavit Albinus (*e*). Similem pariter in foetu, ſed multo majori, conſpexi, & optime per transparentes tumoris membranas, inteſtina diſtinxi.

Clar. de Haen (*f*), incarceratam herniam quandoque gelida aqua ſanari (*g*), probaturus, narrat, foeminam ſeptuaginta trium annorum, quæ die quinto conſtrictæ ſuæ herniæ, quam operatione chirurgica reponi conſtanter recuſaverat, morti jam propinqua videbatur, illuſtrem Medicum ac Polyatrum Haga-Batavum, A. Weſterhoff, mortis e faucibus eripuiſſe, cataplasmati calenti ſubſtituendo gelidæ copioſæ fomentum; ex quo vetula, vix ad mediam horam tota inhorrescens, jamque moribundæ ſimilis, mox dein levamen, poſtea ſedationem omnium ſymptomatum experta eſt, obortaque diarrhæa putrida reſtituta.

Ipſe poſtea, Polyatri munere Hagæ-Comitum functus, ſæpius ad hanc fæminam vocatus, magnitudi-

(*e*) Annot. Acad. lib. I. pag. 76. Tab. V. fig. 5.

(*f*) Rat. Medendi part. 9. Edit. Leid. vol. 3. pag. 96.

(*g*) Gelidæ, nivis, glaciei etiam præſtantem uſum his in morbis ulterius probavit Cel. Theden Neue Bemerkungen, und Erfahrungen zur bereicherung der Wundarzneykunst. pag. 94. ſeq. Nat. en Geneesk. Bibliotheek X. D. pag. 635.

tudinem herniæ umbilicalis admiratus fui. Præter moleſtias ex magnitudine enascentes, incommodi nihil percipiebat, donec alvinarum fœcum tanta copia in inteſtinis, ſacco incluſis, eſſet collecta, ut diſtentus ſummopere tumor dolores excitaret enormes, alvusque redderetur conſtipata; clysma emolliens, dein purgans leniter ſtimulans, ab his ſymptomatibus illam liberabat, tamdiu bene valentem, donec iterum fœcum duriorum copia notabilis aderat, quæ tactu percipi & de loco in locum moveri poterant. Senſim autem vires imminuebantur, ac, lecto incumbere coacta, præter ſolitos in hernia dolores, nunc majores, nunc minores, & urinæ ſuppreſſionem, cathetere, a veſica absque ulla difficultate admiſſo, facile levandam, nihil conqueſta ſupremum obiit diem.

Altero die cadaver ſecui. Diſſectis a ſcrobiculo cordis ad pubem tenuiſſimis integumentis, ſaccus hernioſus, peritonæum ipſum, in conſpectum veniebat, quod per umbilicum propulſum ad pubem ferme usque deſcenderat. Saccus undique liberatus, dein apertus, contenta, variis in locis inter ſe & cum peritonæo concreta, non tamen ſic, quin omnino diſtingui & liberari poſſent, exhibuit; apertura umbilici

bilici adeo dilatata erat, ut diameter pollicem excederet. Omentum, elapſa inteſtina, alterius ſacci adinſtar, complectebatur, & cum ipſis pro parte connectebatur, in naturam, multo craſſiorem, quam cæterum habere ſolet, mutata. Videbatur itaque media omenti pars per umbilicum primo protruſa, inteſtina autem intra omentum devoluta. Portio ilei, cæcum, & maxima coli pars, hoc ſacco continebantur, & intra colon, fæculenta materies, dura admodum, hærebat. Colon ex ſacco hernioſo abdomen rurſus intrans maxime erat contractum, ſic ut tenuia capacitate illud ſuperarent, inde ad lienem tendens, reflexum, ſolito modo in rectum deſinebat. Ventriculus, laxus, usque ad umbilicum, herniæ pondere detractus, pertingebat. Hepar duriſſimum. Lien firmiter peritonæo ferme undique accretus. Uterus parvus, contractus. Ovaria innumeris foveis, cicatriculis quaſi, fœdata. Siniſtrum binis, duriſſimis, tuberculis, obſeſſum. Veſica ſana.

Confirmatur hac obſervatione ſententia eorum, qui, hernias umbilicales ſaccatas eſſe, ſtatuunt, refutatur e contra illorum opinio, qui illas nunquam, niſi rupto peritonæo, fieri, aſſerunt. Veteres, quibus partium fabrica non penitus cognita atque per-

ſpecta erat, tale quid aſſumſiſſe, minime mirum, ſed recentiores, & inter hos Dionyſium (*h*), atque Guarengeotum (*i*), huic ſententiæ inhærere potuiſſe, intelligi nequit, dum in loco umbilici peritonæum æque integrum, ac in aliis locis, invenitur, dum, ibi loci non adeo ſuffultum, facillime cedere, urgentibus extrorſum visceribus abdominalibus, poteſt. Perſpexit hoc etiam de la Faye (*k*), adeoque poſſibilitatem probare anniſus eſt, licet mirandum videatur, ipſum adfirmare, recentiores practicos omnes diviſum peritonæum inveniſſe, quando partes per annulum umbilicalem tranſierant, nunquam vero ſaccum hernioſum hoc in loco detexiſſe, dum plures, antequam ſuas animadverſiones in lucem emiſit (*l*), diſertis verbis, peritonæum in loco umbilici ſaccum formaſſe, memoriæ prodiderunt (*m*), cujus aſſer-

(*h*) Cours d'Operations de Chirurgie pag. 106.

(*i*) Memoir. de l'Acad. de Chir. Tom. 1. pag. 702.

(*k*) Dionis lib. cit. pag 107. not. a.

(*l*) Prodierunt Pariſiis 1740. Conf. Halleri Bibliotheca Chirurgica Tom. 2. pag. 208. Portal Hiſtoire de l'Anatomie & de la Chirurgie Tom. 5. pag. 209.

(*m*) P. Barbette Oper. Omn. a Mangeto edit. Genevæ 1688. Tom. 2. pag. 74. ſequentia habet. „ Hoc etiam animadverſione non indignum videtur, peritonæum rariſſime disrumpi. In apertis diſſectisque cadaveribus, aliquoties expertus ſum & demonſtravi, umbilicum cum ſubſequen-

aſſerti veritatem poſtea multi confirmarunt (*n*). Negari tamen nequit, in paucis caſibus veram adfuiſſe rupturam (*o*).

ſequentibus inteſtinis inſtar capitis virilis protuberaſſe, adeo ut musculi ventris recti ad latera impellerentur, & a ſe invicem ſepararentur, attamen peritonæum erat expanſum, ſed nusquam disruptum." Hæc latere tanto minus debuiſſent, quoniam eadem hæcce obſervatio iisdem verbis repetita eſt a Boneto Anat. Pract. lib. 3. ſect. 39. obſ. 1. Tom. 3. pag. 3. Præterea ſaccum conſpexerunt Hartmann Eph. Nat. Cur. Dec. 2. ann. 5. obſ. 63. pag. 125. Laubius Act. Phyſ. Medic. vol. 1. obſ. 51. pag. 321. Heiſterus in Adnotat. ad Dionyſii librum, Germanica lingua anno 1722. editis, pag. 118., ubi ſententiam ipſius refutavit, & ſuam contrariam opinionem obſervatione ſingulari roborare ſuſtinuit, quae poſtea repetita etiam eſt in Inſtit. Chir. Tom. 2. pag. 744. & Medic. Chir. und Anatom. Wahrnehmungen 1 Th. pag. 784.

(*n*) Henſing de peritonæo. §. 8. not. f. in Halleri Collect. Disp. Anat. vol. 1. pag. 357. Haller Opusc. Pathol. obſ. 35. Oper. Min. vol. 3. pag. 315. Conf. Morgagni de ſed. & caus. morb. epiſt. 43. art. 6. 7.

(*o*) Roonhuyſen Heelk. Waarn. num. 12. 13. Heuermann Abhandl. der Chirurg. Operationen 1. Th. pag. 596.

CAPUT QUINTUM.

De Vaſis emulgentibus & Pelvi renum.

In diſtributione vaſorum inſignem ſeſe monſtrare varietatem, plurimi (*a*), & inter hos etiam diligentiſſimus olim discipulus, Medicus nunc Amſtelædamenſis peritiſſimus, Insfeldt, (*b*) tot confirmarunt exemplis, ut vix finem inveniret, qui omnes rurſus repetere vellet. (*c*)

Hi

(*a*) Vid. inter alios Cl. Timmermann de notandis circa naturæ in humana machina luſus. §. 50. 51.

(*b*) Diſſert. de luſibus naturæ Lugd. Bat. 1772. pag. 37.

(*c*) Sæpiſſime & ferme quotannis plures vaſorum aberrationes mihi occurrunt, quas omnes recenſere, ſuperfluum judico. In fœtu monſtroſo, cujus deſcriptionem ante plures annos dedi, poſtea inſertam Act. Helvet. vol. 7. pag. 55. ſeq. dextra ſubclavia non ex trunco communi egrediebatur, ſed ex ipſa aörta eodem ferme loco, quo altera oriebatur ſubclavia, originem ducens, pone œſophagum decurrens, axillam ſui lateris petebat. Quæ obſervatio ferme convenit cum illa, quam cum Academia Holmienſi communicavit Clar. A. Murray, Anatomes nunc Profeſſor Upſalienſis. Abhandl. der Schwed. Akadem. Band 30. pag. 92. & Geneeskundige Verhandelingen, aan de Sweedſche Academie medegedeeld, door J. B. Sandifort. IV. D. pag. 86. In theatro Anatomico Argentinenſi ſimilem varietatem fuiſſe demonſtratam habet A. Mieg Spec. Obſervat. Anat. atque Botanic. Baſileæ 1753. art. 8. Ex ſuperiori

Hi autem luſus vix in ulla parte toties ſeſe offerunt, quoties in Renibus, adeo ut Euſtachius etiam plurimas de iis dederit figuras (*d*). Alii tamen aliis rariores ſunt, & ea propter memoratu digni.

Ad

periori nempe parte arcus aörtæ prodibant primo arteria carotis dextra, deinde ſiniſtra, ſubclavia denique ſiniſtra, diſtincto ſingulæ principio; ac demum in initio aörtæ deſcendentis, & quidem ex parte ejus poſteriori, emergebat arteria ſubclavia dextra, quæ inde retro aörtam, œſophagum, &c. in dextrum latus flexa ſub claviculam dextram ſe recipiebat, ac vulgari modo ulterius progrediebatur. Conf. Ludwig Progr. obſervat. angiolog. trad. Lipſiæ 1764. Natuur- en Geneesk.-Bibliotheek IV. D. pag. 511. Loeſeke Obſervat. Anat. Chir. Med. p. 26. Boehmer Progr. de quatuor & quinque ramis ex arcu arteriæ magnæ adſcendentibus. Halæ 1741. fig. 2. & in Halleri Collect. Diſput. Anatom. vol. 2. pag. 451. & Neubauer diſſ. de arteria innominata pag. 43, qui exempla collegit, & ipſe caſum refert, in quo carotides binæ ex trunco innominato enaſcebantur, ſubclavia ſiniſtra, & demum dextra, ex arcu aörtæ, quæ ſubclavia dextra pone œſophagum ad ſuum latus tendebat. pag. 41. tab. 2. fig. 1.

Notabiles aliæ varietates ſæpe occurrunt in numero & decurſu ramorum, ex arcu arteriæ prodeuntium, ſic ut ſubinde quinque etiam rami ortum inde duxerint, ut exemplis probavit Clar. Boehmer lib. cit. fig. 2. Conf. Huber. in Act. Helvet. vol. 8. pag. 72. Haller Elem. Phyſiol. Tom. 2. pag. 162. Sed rariori longe caſu non niſi duæ arteriæ ex arcu prodierunt, ſubclavia ſiniſtra ex carotide ſiniſtra proveniente. Biumi Obſervat. Anatom. pag. 133. Imminutum ramorum arcus aörtæ numerum bis vidit Huber Act. Helvet. vol. 8. pag. 71., ſed in illis caſibus arteria innominata ſindebatur in ſubclaviam dextram, carotidem dextram, carotidem ſiniſtram, ſola ſubclavia ſiniſtra diſtincto principio enaſcebatur.

(*d*) Tract. de Renibus & Tab. Anat. tab. 1. 2. 3. Collegit varia

exem-

Ad hos omnino referri debet venæ renalis ſiniſtræ pone arteriam aörtam ad renem ſuum decurſus. Aberrationem hanc, ſemel a ſe viſam, dignam judicavit ſummus Albinus, quæ in Annotationibus deſcriberetur (*e*). Dignam ſimilem, bis a me viſam, aberrationem judico, ut verbo deſcribatur, quum præter Albini obſervationem vix aliam extare ex Ill. Hallero, in colligendis iis, quæ alii notarunt, ſedulo patere videtur (*f*).

Quæ

exempla Ill. Hallerus Elem. Phyſiol. Tom. 7. pag. 260. ſeq. Aliquoties binas arterias totidemque venas in quoque latere vidi. Subinde tres arterias in uno latere, in altero unam. Conf. P. A. Boehmer Exercit. Acad. rarior. faſc. pag. 11. & Diſſ. de urinæ ſe & excretione ob multitudinem arteriarum renalium largiore, caſu quodam ſingulari inluſtrata, pag. 2. ſeq.

(*e*) Annot. Acad. lib. 7. cap. 2. pag. 34.

(*f*) Rarum etiam eſt venam renalem pone aörtam advenire, dicit Elem. Phyſiol. Tom. 7. pag. 267. & ſolam Kintii Diſſertationem de nephritide, citat, qui Albini Obſervationem cap. 1. §. 10. memorat, quemadmodum etiam fecerunt Auditores clariſſimi viri Blankert Diſſ. de nephritide pag. 11. & Beudt Diſſ. de fabrica & uſu viſcerum uropoieticorum. pag. 8. Memoranda tamen obſervatio, quam ſpecimini ſecundo obſervat. Botan. Anat. & Phyſiologic. vacante cathedra anatomiæ & botanicæ Baſileæ 1776. in lucem emiſſo, inſeruit pag. 10. A. Mieg. Vidi, inquit, ſiniſtrum renem adiiſſe duplices tum arterias, tum venas; arteriarum major conſueto loco ex aörta ſupra primam orta extremitatem fere ſupremam renis intrabat. Venarum una ex cavæ ordinario loco nata ſupra aörtam arteriamque emulgentem renis con-

Quæ Clar. Albinus notavit hæc ſunt. „ Vena emulgens ſiniſtra in adulto homine a me reperta eſt, ab ortu ſuo, non ut ſolet, ante arteriam aörtam, ſed poſt eam incedens, porroque etiam poſt principium arteriæ emulgentis, cujus comes eſt, ultra quod ſe circum inferiorem illius arteriæ partem flectebat in priora, poſteaque ante eam ad renem usque conſueto modo decurrebat. Et ita quidem ab aörta ad ſpinam adprimebatur, ut ſanguis per eam a rene ad venam cavam difficillime propelleretur. ".

Prima vice ſimilis ſeſe mihi obtulit aberratio, anno 1772. (*g*) in cadavere fæminæ. Vena renalis ſiniſtra dimiſſiori multum loco, quam alias ſolet, ex parte laterali ſiniſtra venæ cavæ enascens pone arteriam aörtam decurrebat, oblique inde adſcendens ad renem ſui lateris, illum pone arterioſos ramos intrans. Altera vice eundem luſum vidi anno 1775. in cadavere etiam fæminæ, in hac adeo compreſſa vena, ut primo conſpectum omnem fugeret, dein de-

concavum marginem adibat, quæ ſpermaticam & capſularem recepit; altera vero minor ad pollicis ſpatium infra priorem ex poſteriori cavæ facie duobus principiis oriebatur, quibus mox conjunctis ſub aörta renis concavitatem adiit, uti prior, cum qua ante ingreſſum in renem transverſa anaſtomoſi jungebatur.

(*g*) Vid. Insfeldt diſſ. cit. de luſibus naturæ. pag. 38.

detecta pone arteriam aörtam. Ex vena cava prope bifurcationem in venas iliacas enaſcens, inde obliquo admodum ductu adſcendens, renem ſuum petebat, per ipſius ſubſtantiam ſeſe diſtribuens.

Ludit non tantum in vaſis natura, ſed & in Renum figura (*h*), & Pelvis conformatione. Triplici hoc ſenſu notandi Renes ſunt, quos in binis cadaveribus, altero viri, altero fœminæ, vidi.

In cadavere viri, in dextro latere figura Renis naturalis erat, ſed vaſa in hoc latere, ut in altero, juſto plura detegebantur. Duplex aderat arteria (*i*), quarum quæque diſtincto oſtio ex aörta (*k*) enaſcebatur, altera eaque ſuperior (*l*) recto; altera inferior (*m*) obliquo admodum ductu. Duplex etiam conſpiciebatur vena, altera ſuperior valde capax (*n*), & in tres ramos ante ingreſſum renis diviſa, altera, non adeo inſignis, dimiſſiori loco enaſcens (*o*). Vena,

(*h*) Exſtant, exempla binos Renes invicem confluxiſſe, & ſpinæ dorſi fuiſſe impoſitos; aut alio modo a ſtatu naturali receſſiſſe. Haller Elem. Phyſiol. Tom. 8. pag. 242. 243. Renem numero unum, functione duplicem, deſcripſit, depinxit de Haen Rat. med. cont. Tom. 2. part. 2. pag. 25. tab. 4. fig. 2.

(*i*) Tab. IV. Fig. 1. f. g.

(*k*) Tab. IV. Fig. 1. d.

(*l*) Tab. IV. Fig. 1. f.

(*m*) Tab. IV. Fig. 1. g.

(*n*) Tab. IV. Fig. 1. p.

(*o*) Tab. IV. Fig. 1. q.

na, quæ ad renem ſuccenturiatum tendebat (*p*), ſeparato principio ex vena cava (*q*) proveniebat, & reni etiam ramum dabat.

In ſiniſtro latere forma Renis præternaturalis erat. Anterior ipſius ſuperficies, peritoneo accumbens (*r*) maxime exſecta erat; poſterior ultra anteriorem verſus ſpinam ſeſe multum extendebat (*s*). Sinus itaque ab anteriore conſpiciebatur (*t*), & hunc intrabant vaſa arterioſa (*v*), egrediebantur venoſa (*w*), & rami Pelvis (*x*). Arteria duplex erat, altera (*y*), ſolito loco ex aörta (*z*) enaſcens, in binos ramos (*a*), dein in plures fiſſa, ſuperiorem renis partem ingrediebatur; altera (*b*), ex aörta infra meſentericam inferiorem (*c*), originem ducens, inferiori renis parti ſanguinem impertiebat. Vena (*d*), ex vena cava (*e*) producta, recto tramite ad mediam circiter Renis partem vergebat (*f*), ante ingres-

(*p*) Tab. IV. Fig. 1. r. s. 4. 5.
(*q*) Tab. IV. Fig. 1. o.
(*r*) Tab IV. Fig. 1. b.
(*s*) Tab. IV. Fig. 1. c.
(*t*) Tab. IV. Fig. 1. inter c. & b.
(*v*) Tab. IV. Fig. 1. h. i. i. k.
(*w*) Tab. IV. Fig. 1. v. y.
(*x*) Tab. IV. Fig. 1. β. 1. 2. 3.
(*y*) Tab. IV. Fig. 1. h.
(*z*) Tab. IV. Fig. 1. e.
(*a*) Tab. IV. Fig. 1. i. i.
(*b*) Tab. IV. Fig. 1. k.
(*c*) Tab. IV. Fig. 1. m.
(*d*) Tab. IV. Fig. 1. t.
(*e*) Tab. IV. Fig. 1. o.
(*f*) Tab. IV. Fig. 1. v.

greſſum tamen venam emittens ſurſum ad renem ſuccenturiatum (*g*), alterum deorſum (*h*), qui incurvo ductu partem inferiorem renis petebat (*i*), emiſſa tamen prius vena ſpermatica (*k*).

Pelvis Renis, quæ cæterum ex parte poſteriore & interiore producitur, hic ſeſe in anteriore parte tota nuda monſtrabat (*l*), ſic ut ſinui, inter ſuperficiem anteriorem & poſteriorem relicto, incumberet, inſignis magnitudinis, quinque etiam ramos ſuos (*m*), ex rene inter venoſa & arterioſa vaſa egredientes, nudos exhibens, dein ureteri originem præbens ſolito more (*n*).

Dedit Euſtachius figuras renum, quæ certo ſenſu cum noſtra conveniunt (*o*), ſed magnam tamen inter illos atque deſcriptos intercedere differentiam, figuræ, invicem comparatæ, abunde probant. Inſignes autem & magis cum noſtro caſu convenientes pelvis expanſiones vidit Haenius (*p*).

In cadavere fœminæ, in quo ſimilem renis formam

(*g*) Tab. IV. Fig. 1. w.
(*h*) Tab. IV. Fig. 1. x.
(*i*) Tab. IV. Fig. 1. y.
(*k*) Tab. IV. Fig. 1. z.
(*l*) Tab. IV. Fig. 1. β.
(*m*) Tab. IV. Fig. 1. n. 1. 2. 3. 4. 5.
(*n*) Tab. IV. Fig. 1. γ.
(*o*) Euſtachii Tab. Anat. 3. fig. 2. 3. quæ eædem in Tab. 12. fig. 10 & 12. inveniuntur.
(*p*) Rat. Med. Cont. Tom. 2. part. 2. pag. 8. tab. 1. fig. 1.

mam admiratus fui, ren ſiniſter naturalis quoad figuram erat, dexter præternaturalis (*q*), ambo autem valde duri, & in parte poſteriore corpuſculis globoſis plurimis obſeſſi, qui intra craſſam admodum & ferme cartilagineam tunicam continebant humorem, ſpiſſum, tenacem, albidum. In quoque latere unica arteria, unica pariter aderat vena.

Arteria renalis dextra (*r*) in tres ramos findebatur, unum (*s*) brevem, ſuperiorem renis partem mox ingredientem, alterum (*t*) longum, ad infimam ſinus renis partem, a latere ſpinæ dorſi ſeſe extendentem, ſed variis ramis variis in locis renem ipſum intrantem, tertium (*v*) longum pariter, inter binos venæ renalis ramos (*w*) progredientem, & juxta ſinus partem exteriorem, ad inferiora usque, dimiſſum (*x*). Vena renalis (*y*), in quatuor diviſa ramos (*z*), diſtinctis locis renem ingredientes, ad inferiorem usque partem pertingebat.

Exſecta quaſi erat anterior renis ſuperficies, &, ut in præcedenti caſu, ſic & hic, ſinus (*a*) aderat, poſte-

(*q*) Tab. IV. Fig. 2. a.
(*r*) Tab. IV. Fig. 2. b.
(*s*) Tab. IV. Fig. 2. d.
(*t*) Tab. IV. Fig. 2. c.
(*v*) Tab. IV. Fig. 2. e.
(*w*) Tab. IV. Fig. 2. h. i.
(*x*) Tab. IV. Fig. 2. f.
(*y*) Tab. IV. Fig. 2. g.
(*z*) Tab. IV. Fig. 2. h. i. k. l.
(*a*) Tab. IV. Fig. 2. inter a & m.

poſteriore renis ſuperficie ultra anteriorem multum prominente. Pelvis, magna ſatis, tota non tantum extra renis ſubſtantiam ſeſe monſtrabat (*b*), ſed quinque etiam oſtendebat, eosque ſatis capaces, ramos (*c*), dum ipſa in ureterem deſinebat. (*d*).

(*b*) Tab. IV. Fig. 2. n.
(*c*) Tab. IV. Fig. 2. o. p. q. r. s.
(*d*) Tab. IV. Fig. 2. t.

CAPUT SEXTUM.

De Calculo Renali.

Mirati ſunt plurimi magnitudinem atque pondus calculorum, in renibus Pontificis Romani, Innocentii XI., die 13. Auguſti 1689. mortui, repertorum, quorum alter, in ſiniſtro rene inventus, novem, alter in dextro ſex uncias pondere æquabat, ambo vero inæqualem admodum, ac tuberculatam ſuperficiem monſtrabant (*a*). Aſſervatur autem inter rariora, quæ noſtrum Theatrum Anatomicum, paucos ante annos, Illuſtriſſimorum Curatorum atque Conſulum munificentia renovatum, & auro cariore Suppellectili

(*a*) Dionis Cours d'Operations de chirurgie pag. 180. 181. 182. Lanzonus in Eph. Nat. Cur. Dec. 2. ann. 8. obſ. 199. pag. 500.

li Anatomica Albiniana ditatum, ornant, jam ab anno 1618. calculus renalis, figura, magnitudine, pondere, admodum notabilis, quem, ab itineratoribus memoratum, an unquam deſcripſerint, ac delineaverint, dubito: quare figuris pelvis renum, formam calculorum renalium maxime illuſtrantibus (*b*), lineares hujus calculi figuras cum brevi deſcriptione ſuperaddere, non plane inutile viſum fuit.

Hiſtoria, a Maximiliano Bouwmanno, Chirurgo Dordraceno, anno 1602. conſcripta, & ab Ottone Heurnio, Joan. Filio, Anatomes olim Profeſſore celeberrimo, qui Theatro Anatomico calculum dedicavit, addita, hæc eſt.

,,Maria de Coninckloo, filia Ludovici de Coninckloo, civis Bruxellenſis, nata annos triginta, obiit 17. Februarii anno 1602. Dordraci in ædibus lanionis, cui nomen magni Adriani, in vicinia Petri Næmyck, & a me poſt mortem diſſecta eſt in præſentia plurimarum matronarum, & deprehendi in Rene ejus dextro ingentem monſtroſæ conformationis calculum, plurimis nodis ac protuberantiis conſpicuum, coloris ſpadicei, qualis eſt ligni arboris nucis juglandis. Pondere uncias octo excedebat. Ipſa renis ſubſtantia exterior tota erat ſolida, & omnino naturalis,

(*b*) Tab. IV. Fig. 1. & Fig. 2. n.

lis, adeo ut ejus parenchyma, calculo undique circumdatum, digiti transverſi craſſitiem æquaret. Sed ren ſiniſter totus repletus erat viridi purulento ichore. Medici & chirurgi, qui ejus curæ præfuerant, ex dyſuria, ſtranguria, & iſchuria, ac dolorum veſicæ cruciatu, omniumque ſymptomatum ſyndrome, judicaverunt, calculo veſicæ ipſam laborare. Urinam craſſam, fæculentam & confuſam habuerat; & quæ per alvum ſeceſſerant, aliquot diebus ante mortem, eodem colore, quali calculus infectus erat, tinctæ fuerant. Tota veſica impleta erat ſimili fæculenta, craſſa, ſpadicea ſanie, maxime autem ejus cervix. Tenuis & gracilis totius corporis habitus ei erat, præcipue in regione lumborum; idque primarium & maximum morbi hujus irritamentum ac fomentum fuiſſe videtur; accedente nimis violenta veſtimentorum circa has partes conſtrictione, quod virginibus Brabantinis ad ſpecioſam gracilitatem conciliandam, nimis familiare eſſe ſolet."

Calculus (*c*) circiter quatuor pollices cum dimidio longus, ultra duos latus, ferme duos craſſus, novem gaudet tuberculis (*d*), quorum unum, omnium

(*c*) Tab. V. Fig. 1. 2. 3. 4.

(*d*) Tab. V. Fig. 1. 2. 3. a. b. c. d. e. f. g. h. i. Fig. 4. a. b. c. d. f. g. h. i. Tuberculum e in Fig. 1. 2. 3. hoc in ſitu conſpici nequit.

nium maximum (*e*), in octo iterum eminentias ſurgit, alia planiorem ſuperficiem habent (*f*), tria invicem confluxerunt (*g*), bina figuram papillæ mammæ muliebris monſtrant (*h*). Inter omnia hæc tubercula ſuperficies glabra ſatis conſpicitur (*i*). Confluunt omnia tubercula invicem, & corpus calculi craſſum admodum conſtituunt (*k*), quod rotundo fine deſinit. (*l*)

Ex brevi deſcriptione, & adjectis figuris abunde liquet, differre hunc non tantum, verum multo notabiliorem eſſe tum magnitudine, tum figura, tum pondere, omnibus ferme aliis, hactenus deſcriptis aut depictis. Supra nominati, non tantum a Dionyſio & Lanzono, ſed multo melius ab Alghiſi (*m*) delineati, quodammodo pondere, longitudine & latitudine, non vero figura, conveniunt. Sed præter hos vix obſervati videntur renales calculi, qui ad tantam magni-

(*e*) Tab. V. Fig. 1. 2. 3. 4. i.
(*f*) Tab. V. Fig. 1. 2. 3. 4. a. g.
(*g*) Tab. V. Fig. 1. 2. 3. b. c. d.
(*h*) Tab. V. Fig. 1. h. Fig. 2. e.
(*i*) Tab. V. Fig. 3. k. k.
(*k*) Tab. V. Fig 1. 2. k. k. Fig. 3. 4. l. l.
(*l*) Tab. V. Fig. 1. 2. l. l. Fig. 3. 4. m. m.
(*m*) Litotomia pag. 25. tavola quarta. Invenitur etiam figura & deſcriptio in Act. Erud. an. 1708. menſ. Sept. pag. 419. Tab. 7. fig. 9. 10.

magnitudinem increverunt. Maximi videntur illi, de quibus Borellus (*n*), & Acta Pariſina (*o*) mentionem faciunt, quorum ille, in dextro rene inventus, cineritius, obſcurus, ponderis ſeptem unciarum, figuram valde irregularem habuit; hic vero ſex uncias cum dimidia pondere æquavit.

Figura calculi non adeo miranda videtur. Accommodant ſeſe hi ſanitatis hoſtes cavo, in quo formantur, in quo concreſcunt, & figuram cavi aſſumunt. Locum hoc habet in veſica urinaria, locum in pelvi renum. Tantæ enim magnitudinis calculi fuere viſi in veſica urinaria, ut totum ipſius cavum adimpleverint (*p*), imo in ureteres & collum veſicæ eminentiis penetraverint (*q*), & in calculo ſubinde ſulcus fuerit, juxta

(*n*) Hiſtor. & Obſervat. rar. cent. 2. obſ. 62. pag. 162.

(*o*) Mem. de l'Acad. des Sciences. 1730.

(*p*) Eph. Nat. cur. Cent. 10. obſ. 100. pag. 437. Pechlinus Obſerv. Phyſ. Med. lib. 1. obſ. 2. pag. 4. Hildanus de lithotomia veſicæ cap. 8. pag. 73. Groeneveldt Diſſ. lithologica. pag. 34. Tulpius obſ. medic. lib. 3. cap. 9. Cloſſy Obſervations on ſome of the Diſeaſes of the parts of the Human body. pag. 156. J. S. Muller Diſſ. ſiſtens raram de calculo veſicæ obſervationem pag. 17. Natuur-en Geneesk. Bibliotheek II. D. pag. 815. 816. VII. D. pag. 54. ſeq. Van Swieten Comment. in Aphor. Pract. Boerhaavii Tom. V. pag. 239.

(*q*) Schaeffer Diſſ. de variis lithotomiæ generibus pag. 33. Inſtituta in caſſum ſectione, puer annorum quindecim debitum naturæ ſolvit. Secto cadavere calculus reperiebatur pugni mediocris magnitudi-

ta quem urina ex ureteribus ſtatim ad cervicem veſicæ fluebat (*r*). In renibus ſeſe accommodant ad ramos pelvis, vel ipſam pelvem, vel ureteris principium, vel totam capacitatem, in quam ſecreta urina continuo depluit, per ureteres ad veſicam deferenda, adeo ut ſubinde, notante Dodonæo (*s*), totidem radios habeant, quot in renum ſubſtantia dantur meatus. Hæc ratio, quod diverſa adeo ſit figura calculorum renalium, miranda tantum iis, qui naturalem formam cavi, in quo naſcuntur, non cognoscunt (*t*).

Me-

tudine, duabus cuſpidibus utrique ureteri, tertia vero ſphinčteri impactus, ſupra quem ita firmiter ſeſe conſtrixerat veſica, ut ejus inferior pars quaſi adnata crederetur. Conf. Muller Diſſ. cit. pag. 8.

(*r*) Eph. Nat. Cur. Dec. 2. ann. 1. obſ. 19. pag. 42. Loſſius obſervat. lib. 3. obſ. 53. Præprimis notandus videtur calculus viginti quinque unciarum cum dimidia, a Groeneveldt deſcriptus Diſſ. lithologica pag. 67., qui canalem habebat in ea parte inferiore, quæ inteſtinum rectum ſpectat, per quem tranſitus liber urinæ patuit. Conferatur de his, ſimilibusque calculis M. Schurigii Lithologia Hiſtorico-medica, qui capite tertio de calculorum mole atque pondere agens, pro more, ex innumeris ferme autoribus, compilavit, quæ notatu digna videbantur.

(*s*) Exempl. rar. medicin. obſerv. cap. 46. pag. 115.

(*t*) Figuræ variæ talium calculorum proſtant. Inter alias adſpici merentur, quæ inveniuntur in Hildani Obſervat. Chir. Cent. 1. obſ. 69. pag. 53. Act. Erudit. Lipſ. Ann. 1708. menſ. ſept. pag. 419. Tab. 7. fig. 11. 12. ann. 1713. menſ. febr. pag. 95. Tab. 2. fig. 1. 2.

M 2 Phi-

Medicos atque chirurgos præſentiam calculi renalis non fuiſſe ſuſpicatos, etiamſi poſt mortem conſtiterit, tantæ molis lapidem renem occupaſſe, in communicata hiſtoria dicitur. Mirum hoc forte alicui videbitur, non vero mirabitur, qui, fallacia admodum calculorum ſigna eſſe, aut experientia didicit, aut ex obſervatorum diariis collegit. Sæpe enim contingit, calculos, etiam maximos, in renibus aut veſica delitescere, absque ut vel ullum ſui ſignum præbeant. Renem dextrum mole ingentem fuiſſe, & cartilagineæ duritiei, ita ut difficulter potuerit diſcindi, in eo vero calculum hæſiſſe inſignis magnitudinis, ponderis ſex unciarum, qui totum pelvis cavum replebat non tantum, & inferiori apice ureterem ingrediebatur, ſed &, ramis quaſi undique emiſſis, figuræ admodum irregularis, implebat reliquum

Philoſ. Tranſact. n. 377. in Mihles Medic. Eſſays vol. 2. pag. 110. tab. 1. fig. 4. Majoris Hiſt. Anat. Calculorum inſolentioris figuræ, magnitudinis ac molis in renibus clar. Philoſophi J. Sperlingii repertorum. J. C. Heinlein Hiſt. & curat. calculorum humanorum præſide A. H. Faſchio Jenæ 1676. pag. 16. tab. 2. Ruiſch Obſervat. 56. fig. 46. 47. 48. J. D. Reichel Obſervationes de calculis renalibus Lipſ. 1772. De Haen rat. med. cont. Tom. 2. p. 2. pag. 7. ſeq. tab. 1. 3. Mentionem etiam calculorum renalium magnitudine inſignium inter alios fecerunt Otto Diſſ. de calculo renum, præſide Meibomio 1679. §. 13. & Hilſcher Proluſ. de unico in homine reperto rene, prægrandem continente calculum, Jenæ 1733. Plater Obſervat. lib. 2. pag. 450.

quum ſpatium, licet homo nunquam urinæ ſabulum nephriticum depoſuerat, nunquam de nephriticis doloribus conqueſtus fuerat, nunquam urinæ ſuppresſione laboraverat, legimus (*v*). Eſſe, qui calculum habent in renibus, absque ut ullum pariat dolorem, in duobus ſeſe obſervaſſe, Bononiæ & Patavii, quorum cadaveribus diſſectis ingentes calculos in renibus vidit, licet nullis ante vexati fuerant renum doloribus, notat Baglivus (*w*), ſimilem obſervationem ex Hollerio adducens. Et obſervavit J. Heurnius in cadavere Domini Marnixii Aldegundii, cum illud Leidæ aperiretur anno 1594., in altero rene calculos parvos ſeptuaginta, in altero octoginta, qui nunquam tamen de ullo nephritidis ſymptomate conqueſtus fuerat (*x*). Immo ipſum hujus viri Clariſſimi Heurnii, 11. Aug. 1601. mortui, cadaver, hujus obſervationis veritatem confirmavit, quod

(*v*) Van Swieten Comment. in Aphor. Pract. Boerhavii. Tom. 5. pag. 273. qui hunc caſum ſine dubio deſumſit ex Mem. de l'Acad. des ſciences an. 1730. pag. 41. licet locum non adduxerit. Conf. Cloſſy Obſervat. on ſome of the diſeaſes of the Human body pag. 156. 157. Nat. en Geneesk. Bibliotheek. II. D. pag. 815. 816. ubi alia exempla huc referenda collegi.

(*w*) Prax. med. lib. 1. cap. 9. p. m. 118.

(*x*) J. Fernelius de morbis univerſalibus & particularibus pag. 176. in not.

quod Beverovicius non tantum notavit (*y*), ſed probare poſſum hiſtoria, quam una cum calculis, quorum ſeptem in veſica inventi erant, noſtrum Theatrum Anatomicum ſervat, conſcriptam manu Otthonis Heurnii, Joannis Filii. Hanc adjicere non plane inutile viſum mihi fuit.

„Joannes Heurnius integra ſanitate toto vitæ tempore uſus eſt, ad 56. usque ætatis annum: ſemel tantum in Italia pauciſſimis diebus febri conflictatus eſt, quam ilico larga venæ ſectio ſolvit. Colico dolore ſtatim affligebatur, ſi calida ſiccaque copioſius aſſumeret, quare ſibi a pipere, cæpis, raphano, & id genus edyliis, ſtudioſe cavebat. Variolis non laboravit: ideoque, perpetuo ſibi metuens ab externo irritamento, non libenter hoc morbo detentos adibat. Anno autem ætatis ſuæ 56, Chriſti 1598. Feb. 8. cum ſolemni Rectorali convivio intereſſet, ibique biberet muſtum Rhenanum, fæculentum, crudum, & auſterum (nam cum nunquam ulla indicia aut præludia calculi percepiſſet, nec ullius visceris infirmitate affligeretur, non erat in delectu dapum aut potus, præpoſtere curioſus, ſed communibus alimentis gaudebat) repente percepit ſibi urinæ redden-

dæ

(*y*) De calculo renum & veſicæ pag. 121.

dæ facultatem inhibitam: domum igitur recedens plenariam percepit iſchuriam, adeo ut ne urinæ quidem guttam excernere poſſet, niſi tandem poſt longa molimina enematum, pharmacorum & fomentorum. Urinam poſtea quidem reddidit, ſed non niſi cum cruciatu & ſtillatim. Nam Rhenani muſti ſubſtantiæ tenuitas, & auſteræ qualitatis abſtergens violentia, calculos qui hactenus in renum latebris quiete reſederant, omnes ſimul commovit & uno agmine cum flumine deſcendentis urinæ in veſicæ cloacam protruſit: ubi tum ob veſicæ obicem ſphincterem, ab eadem acerba & adſtringente qualitate conſtrictum, tum ſeptem calculorum æqualis magnitudinis concurſu, ad veſicæ cervicem, perenne tormentum dyſuriæ & ſtranguriæ paſſus eſt. Donec paulatina hac tormenti immanitate attritus, anno ætatis 58. Chriſti 1601. de nocte diëi 29 Maji, qui erat Martis, incidit in ſymptomaticam lethalem febrem quotidianam cum tertiana conjunctam, quæ in tertianam puram abiit, ſubinde quidem minus violenta fuit, mox vero acrius inſurrexit, fomite mali perpetuo ſuperſtite, ac tandem in Hecticam degeneravit, ſicut, lenta hac dolorum carnificina prorſus emaciatus, placide & tranquille in Chriſto obierit Aug. 11.,

qui

qui erat Saturni, mane paulo ante ſextæ mediam, eodem fere quo natus momento. Poſt mortem in ejus veſica ſeptem reperti ſunt calculi, forma & magnitudine nucis juglandis majoris, coloris cineritii, omnes æqualis magnitudinis & ponderis, nam quilibet pendit drachmas duas grana duo, & ſemigranum, ita ut ſeptem quatuordecim drachmas expleant & grana ſeptendecim cum dimidio."

CAPUT SEPTIMUM.

De Anchyloſi inferioris Maxillæ.

Oſſa corpori ſubjecta ſtabilimentum ſunt ac robur. Ex iis formæ corporis noſtri fundamentum eſt, ac conveniens membrorum per articulos flexibilitas (*a*). Perit tota figura, ſi oſſa firmitatem, duritiem, rigiditatem amittunt (*b*). Difficilis redditur,

(*a*) B. S. Albinus de Sceleto. pag. 9.

(*b*) Probat hoc abunde emollitio oſſium, a variis notata. Vid. Hollerius de morbis internis pag. 705. Fernelius Oper. pag. 185. Bartholinus Hiſt. Anat. rar. Cent. 6. obſ. 40. Acad. des Sciences 1700. 1753. Philoſophical. Transact. vol. 48. pag. 26. 397. Acta Haſn. vol. 3. obſ. 24. Eph. Nat. Cur. Dec. 2. ann. 35. Courtial. Nouv. obſ. ſur les os. obſ. 11. Morgagni de ſed. & cauſ. morb. epiſt 58. p. 366.

ditur, aut & impoſſibilis motus, ſi articuli obrigeſcunt, aut oſſa loco articulorum concreſcunt invicem. Frequentiſſimus hic morbus, quem Anchyloſin dicunt, diverſis admodum cauſis adſcribendus (*c*), vix non in omnibus articulis ſedem ſuam habuit, in aliis tamen frequentius, quam in aliis.

Poſſedit Columbus ſceleton hominis, qui diu Romæ in Xenodochio incurabilium vixerat, in quo omnes articuli totius corporis a capite ad pedum digitos usque concreti erant. Superiores bini deërant dentes, totidemque inferiores, e priorum regione poſiti, & per hanc viam cibus potusque miſero ingerebantur, quamdiu vixit (*d*).

Deſcribit Connor truncum humanum, ex vertebris dorſi & lumborum, ex coſtis, oſſibus Sacro & Innominatis compoſitum, quæ oſſa omnia ita intime ſibi unita ſunt, eorum ligamenta ita oſſificata, & eorum articulatio ita obliterata, ut non niſi unicum con-

p. 366. Gooch caſes and practical remarks in Surgery vol. 2. p. 398. App. pag. 255. Bromfield Chirurg. obſervat. and caſes vol. 2. pag. 2. Ludwig Progr. 1757. & Adverſ. med. pract. vol. 2. pag. 421.

(*c*) Gaubii Inſtit. Patholog. pag. 101.

(*d*) Columbus de re Anatomica Pariſiis 1562. lib. 15. pag. 485. Conf. Philoſoph. Transact. N. 461. pag. 810. in Mihles Abridgment. vol. 2. pag. 425.

continuum & uniforme corpus efficiant, ita ut non magis difficile ſit, vertebram in medio rumpere, quam coſtas a vertebris, vel vertebras a vertebris, vel os ſacrum ab ileo ſejungere (*e*).

Maxillam inferiorem capiti omnium, quæ unquam vidit, maximo, adeo connatam & conjunctam conſpexit Columbus, ut omni motu prorſus caruerit (*f*); & maxillam inferiorem cum cranio unum os effeciſſe, vidit Connor (*g*).

Primam vertebram occipitio ita adhærentem, ut moveri neutiquam potuerit, obſervavit Columbus (*h*). Caput cum prima & ſecunda colli vertebra concretum exſtat in Muſeo rerum naturalium Regis Galliarum (*i*); ſecunda vertebra retrorſum propulſa eſt, ſic ut inter dentem ipſius & arcum poſteriorem primæ vertebræ vix trium linearum diſtantia ſuperſit, ſecunda parum etiam dextrorſum inclinata.

Secun-

(*e*) De ſtupendo oſſium coalitu. Oxoniæ 1695. pag. 4.

(*f*) Lib. cit. pag. 484. Scire ſe Romæ adulti hominis calvariam reperiri, cujus maxilla inferior omni penitus articulo & motu caret, monet Euſtachius lib. de dentibus cap. 28. pag. 92. edit. Leid.

(*g*) Lib. cit. pag. 7. Conf. etiam Palfyn beſchryving der beenderen. pag. 216., qui in uno latere concretam cum oſſe temporum maxillam conſpexit.

(*h*) Lib. cit. pag. 484.

(*i*) Hiſt. Natur. avec la deſcription du Cabinet du Roy. 8°. vol. 5. pag. 129.

Secundam vertebram cum prima concretam vidit Riolanus (*k*). Scripſit jam Falloppius, vertebras, facientes gibboſitatem, ſucceſſu temporis ita ſimul ligari, ut una prorſus fiat vertebra, & nullum remaneat veſtigium commiſſuræ (*l*). Docuerunt hoc ſectiones demortuorum, qui ſcolioſi (*m*) aut cyphoſi (*n*) laborarunt, a recentioribus inſtitutæ, quibus concretæ non tantum vertebræ, ſed illarum, maxime curvatarum, corpora in unum adeo compacta fuerunt, ut quædam ex iis corporibus in nihilum abiiſſe viderentur.

Coſtas cum vertebris ſic cohærere poſſe, ut unum idemque os formare videantur, dictorum hominum ſceleta abunde etiam probant (*o*).

Cum vertebris lumborum vel horum ultima ſic nexum fuiſſe os ſacrum, ut ſolvi non potuerit, notatum eſt (*p*).

Oſſa

(*k*) Conf. Palſyn lib. cit. pag. 285.

(*l*) Præfat. ad tract. de luxationibus oſſium. Oper. Tom. 2. pag. 61.

(*m*) Conferri omnino merentur, quæ hac de re habet Doct. a Roy, Medicus Amſtelædamenſis, optimus olim diſcipulus, Diſſ. de ſcolioſi pag. 73. & ſeq.

(*n*) Collegit quæ huc pertinent in Diſſ. de Cyphoſi Clar. Coopmans pag. 7. ſeq.

(*o*) Coopmans. à Roy, loc. cit.

(*p*) Hiſt. Natur. avec la deſcript. du Cab. loc. cit. pag. 135. 136.

Oſſa innominata cum ſacro ſæpe anchyloſi nectuntur, ſic ut tota pelvis ex unico oſſe conſtare videatur. Imo oſſa pubis etiam oſſea ſubſtantia cohærere poſſunt (*q*).

Cum oſſe innominato femur concreviſſe in unico latere vidit Hildanus (*r*), & in Muſæo ſuo os ilei hominis ætate provecti aſſervavit, in quo caput femoris ſuo acetabulo tam firmiter ſimul & eleganter innatum erat, ac ſi cum oſſe coxendicis unum & quidem continuum eſſet os (*s*).

Femur cum Tibia tam eleganter connexum fuiſſe, ut ne veſtigium quidem juncturæ apparuerit, imo rotulam

(*q*) Aſſervo pelvim, quæ poſſibilitatem hujus anchyloſis abunde probat; rariſſime tamen tale quid evenire exinde conſtat, quod, in maximis morboſorum oſſium theſauris, in Hoviano etiam, talia ſpecimina non extare, adfirmat amiciſſimus Bonn, cui itaque in eo adſentire non poſſum, quod anchyloſis oſſium pubis hactenus nunquam fuerit viſa. Conf. doct. & clar. Viri commentarius de fabrica & mobilitate oſſium pelvis. &c. in Verhandelingen van het Bataafsch Genootſchap te Rotterdam. Derde Deel. pag. 279. Attamen, præter citatum exemplum, aliud nunquam vidi, & in eximia etiam collectione morboſorum oſſium, quam hujus urbis Polyater Ledeboer, vir doctiſſimus, poſſidet, licet plurima contineantur anchyloſis ſpecimina, nullum tamen extat anchyloſis oſſium pubis exemplum.

(*r*) Hildanus lib. de ichore & melic. pag. 25. Conf. de Haen rat. med. vol. 1. pag. 306. Edit. Leid. Bina hujus anchyloſis, elegantiſſima ſane, ſpecimina mihi ad manus ſunt.

(*s*) Conf. Hiſt. Natur. loc. cit. pag. 137 — 143.

tulam tam arcte annexam genu, ut nullo modo ſeparari potuerit, & maxime incurvatum genu fuiſſe, Hildanus refert (*t*).

Tibiæ cum fibula concretæ, nexus oſſiculorum tarſi inter ſe, aut & cum crure & metatarſi pluribus paucioribusve oſſiculis, exempla in theſauris oſſium morboſorum exſtant varia (*v*).

Humeri cum ſcapula articulus ab hoc morbo liber non manſit (*x*). Cubitus a variis plane concretus obſervatus eſt (*y*). Ulna cum ſolo radio ſubinde conferruminatur. Radius cum carpi oſſibus & cum metacarpo etiam indiſſolubili nexu cohæſit (*z*). Tota denique manus extrema hoc morbo etiam laboravit (*a*).

Ex

(*t*) Loc. cit. Poſſideo ſimiliter femoris, tibiæ, atque patellæ anchyloſin, aliudque exemplum, in quo non ſolum femur, tibia, atque patella cohærent, ſed cum tibia etiam talus concrevit. Vid. Tricen obſerv. med. Chir. Tab. 10. fig. 2.

(*v*) Hiſt. Natur. loc. cit. pag. 143. ſeq.

(*x*) Ibid. pag. 129.

(*y*) Hildanus obſervat. cent. 3. obſ. 77. Trioen Obſerv. medic. Chir. tab. 10. fig. 1. Varia talia ſpecimina vidi.

(*z*) Hiſt. natur. loc. cit. pag. 130. ſeq. Trioen Obſerv. medic. Chir. Tab. 9. Binas radii oſſium carpi & metacarpi anchyloſes poſſideo.

(*a*) Muller Diſſ. de Anchyloſi in Halleri Diſp. Chir. Tom. 4. pag. 543.

Ex pluribus, quæ exſtant hoc de morbo, obſervatis, pauca ſeligere placuit, ut vix articulum dari conſtet, qui non ſubinde concretus fuerit viſus.

In mea collectione varia etiam hujus morbi dantur ſpecimina, ut verbo jam monui, horum nunc rariſſimum, forte alia occaſione alia, deſcribam, & figuris ob oculos ponam.

Anchyloſis maxillæ inferioris ſane inter rariores videtur referenda, & brevi explicatione, accurata delineatione, quæ explicationem ulterius illuſtrabit (*b*), digna, licet de illa, in cœmeterio quippe inventa, nil ulterius communicari valeat.

Caput hominis provectæ admodum ætatis eſſe totus habitus, ſuturarum nonnullarum, & alveolorum plurimorum deletio (*c*) probat. In calvariæ oſſibus nil adeo notatu dignum occurrit, niſi quod ſupra ſupercilia frons inſigniter promineat ob amplos ſinus frontales (*d*), quorum ſiniſter præprimis adeo capax eſt, ut ſeſe ultra ſummitatem narium dextrorſum extendens ſupra oculi cavum ſuperiore ſua parte pertingat; dexter ſepimento oblique deorſum demiſſo a ſiniſtro ſeparatur; lamellæ oſſis frontis, quæ foramina oculorum a conceptaculo cerebri diſtin-

(*b*) Tab. VI. Fig. 1. 2. 3. 4.
(*c*) Tab. VI. Fig. 1. d. i. Fig. 2. 3. c.
(*d*) Tab. VI. Fig. 1. 2. 3. a.

ſtinguunt, præter modum teneræ & foraminulentæ (*e*); ſinus ſphenoidalis unicus, nec ullo ſepimento in dextram ſiniſtramque partem diviſus; alveoli in maxilla ſuperiori vel penitus vel magnam partem deleti (*f*); dentes, qui ſuperſunt, ſingulari ratione cum illis maxillæ inferioris connexi (*g*). Maxilla autem inferior vario reſpectu mutata eſt. Hæc quippe ſic ſiniſtrorſum dimota, ut linea ab apice menti (*h*) ſurſum producta incurrat in lunulam, qua proceſſus naſalis de maxilla ſuperiori adſurgens narium aperturam anteriorem in latere ſiniſtro terminat (*i*). Alveoli maximam partem etiam deleti (*k*), ſic ut aperturæ canalium, ramum tertii rami quinti nervorum paris transmittentium, ſuperiorem maxillæ marginem circiter adtingant (*l*). Dentes bini molares in ſuperiori maxilla ſuperſtites, antrorſum & ſiniſtrorſum promoti, occurrunt ſimilibus maxillæ inferioris, ſic ut alter alterum excipiat, & viciſſim ab altero excipiatur (*m*), adeo ſibi invicem innexi, ut, etiamſi radices vix alveolis inhæreant, moveri quidem, nulla

(*e*) Tab. VI. Fig. 1. b, b.

(*f*) Tab. VI. Fig. 1. d. Fig. 2. 3. c.

(*g*) Tab. VI. Fig. 1. e. e. e. Fig. 2. d. Fig. 3. d.

(*h*) Tab. VI. Fig. 1. g.

(*i*) Tab. VI. Fig. 1. h.

(*k*) Tab. VI. Fig. 1. i.

(*l*) Tab. VI. Fig. 1. k. Fig. 2. 3. f.

(*m*) Tab. VI. Fig. 1. e. e. e. Fig. 2. d. Fig. 3. d.

latenus vero tolli poſſint (*n*). Præter dictos ultimus dens molaris dexter ſupereſt (*o*), ſiniſter, maxillæ adhuc inhærens, partem tantum coronæ monſtrat. Figura ipſa maxillæ a naturali recedit. In latere dextro compreſſa (*p*), ab inferiore extrorſum multum incurvata proceſſu poſteriore libere committitur cum ſinu, in parte inferiore oſſis temporum inveniendo (*q*), ſic tamen ut tuberculo, ante ſinum obvio, magis apprimatur, quam naturaliter fieri ſolet, a foramine auris multum recedat (*r*), tangat vero radicem proceſſus zygomatici, quod neceſſario ſequitur exinde, quod tota maxilla ſiniſtrorſum eſt dimota. Cornu prius, in principio latius, zygoma ſubiens, ſolito magis craſſeſcit (*s*). In ſiniſtro latere ramus multo latior dextro (*t*), inferiore ſua parte multum extrorſum promotus (*v*), præſertim quoad proceſſum poſteriorem degenerat (*w*); hujus etenim capitulum tum per longitudinem, tum intra partem priorem & poſteriorem inſigniter latescens (*x*) (ſic ut ſinus lunatus, cæterum inter hunc & priorem

(*n*) Tab. VI. Fig. 2. d.
(*o*) Tab. VI. Fig. 1. 2. l.
(*p*) Tab. VI. Fig. 2. g.
(*q*) Tab. VI. Fig. 2. h.
(*r*) Tab. VI. Fig. 2. k.
(*s*) Tab. VI. Fig. 2. i.
(*t*) Tab. VI. Fig. 3. g.
(*v*) Tab. VI. Fig. 3. k.
(*w*) Tab. VI. Fig. 3. h.
(*x*) Tab. VI. Fig. 4. c. c. c. c.

rem proceſſum inveniendus, ferme totus ſit deletus, & foramen auris (*y*) maximopere anguſtatum) concrevit non tantum cum illa parte oſſis temporum, cum qua, mobiliſſimo cæterum articulo, nectitur, verum etiam cum vicina parte proceſſus lateralis oſſis multiformis, quæ ſeſe inter partem ſquammoſam & petroſam inſerere ſolet. Cornu prius, inſigniter etiam craſſum, zygoma ſubit, ſed parti ſquammoſæ oſſium temporum ferme appreſſum eſt (*z*), dum in dextro latere multum ab eo recedit. Præterea ex interiore parte maxillæ hujus dextro in latere, ubi tertius & quartus dens molaris antea adfuerunt, inſignis exoſtoſis procrescit, papillam mammæ muliebris magnitudine referens, rotundulus, retrorſum incurvatus (*a*). Similis ex interiore parte menti, tenuior, acutior enata eſt (*b*). Reliqua figuræ ob oculos ponent.

(*y*) Tab. VI. Fig. 3. l.
(*z*) Tab. VI. Fig. 3. i.
(*a*) Tab. VI. Fig. 4. f.
(*b*) Tab. VI. Fig. 4. g.

CAPUT OCTAVUM.

De Tumoribus utero annexis.

Uterum infinitarum ærumnarum in muliere cauſam, non immerito dixit Democritus (*a*). Experiuntur hoc quotidie practici, quibus talia matricis mala, tales uteri morboſæ adfectiones, occurrunt, ut vix naturam ipſarum detegere, vix palleativa remedia præſcribere, nedum curam promittere, posſint. Discunt hoc Anatomici ſedula cadaverum inſpectione. Docent Obſervatorum Annales, præter innumera alia mala, uterum ſede naturali relicta in hoc illudve latus inclinaſſe, in ipſius cavo aut ſubſtantia diverſa mala latuiſſe, tubercula variæ indolis ipſi extrinſecus fuiſſe annexa.

Obliquum uteri ſitum partui quam maxime nocere, obſtetricantes ſummo jure ſtatuunt, in dijudicandis autem cauſis etiam ad primam conformationem, & genitalium ac vicinarum partium vitia, eſſe attendendum, monent (*b*). Non enim deſunt exem-

(*a*) In Epiſtola ad Hippocratem de natura hominis, invenienda in Hippocratis Oper. Omn. T. 1. pag. 281. Edit. Linden.

(*b*) Roederer Elem. Art. Obſtetriciæ pag. 199.

exempla, uterum, ligamentis in hoc vel illo latere brevioribus, magis minusve vel ſiniſtrorſum (*c*) vel dextrorſum (*d*) inclinaſſe, ſic ut medium pelvis etiam ſine utero fuerit (*e*); nec deficiunt alia, in quibus ſcirrhi, ſarcomatis, aliusve tumoris pondus matricem in alterutrum latus traxit (*f*), aut inteſtinum rectum, vel veſica ſic in uterum egit, ut medium ſervare locum non valuerit.

Tumores autem ſcirrhoſos talem ſitus mutationem poſſe producere, & mihi, cadaver fæminæ, quinquaginta ut videbatur annorum, diſſecanti conſtitit.

Occupabat tumor partem lateralem ſiniſtram uteri, magnitudine juglandem referens, duritie vero cum ſteatomate conveniens (*g*). Prominebat non tantum extrinſecus, ſed & verſus interiora vergebat (*h*), ſic ut capacitatem uteri inſigniter imminueret (*i*). Ipſe uterus gravitate tumoris ſic erat ſini-

(*c*) Ruiſch Obſ. Anat. Chir. 88. pag. 82. Morgagni de ſedibus & cauſis morborum Epiſt. 29. art. 20. Epiſt. 40. art. 24. Epiſt. 47. art. 18. Epiſt. 48. art. 39.

(*d*) Morgagni lib. cit. Epiſt. 29. art. 12.

(*e*) Idem lib. cit. Epiſt. 35. art. 16. Epiſt. 48. art. 35. 37. & Adverſ. Anat. III. animadv. 28. Weitbrecht in Comment. Acad. Petrop. Tom. 4. pag. 262.

(*f*) Roederer lib. cit. pag. 199. 200.

(*g*) Tab. VII. Fig. 1. e.

(*h*) Tab. VII. Fig. 2. e. e.

(*i*) Tab. VII. Fig. 2. d.

ſiniſtrorſum detractus, ut, dum cæterum media in pelvi hæret, jam linea, a nexu oſſium pubis ad medium os ſacrum producta, ipſum ne quidem tangeret, & orificium verſus dextram pelvis partem dirigeretur. Latum atque teres ligamentum in ſiniſtro latere videbantur breviora (*k*), in dextro longiora (*l*), forte ex eo, quod, tumore ſiniſtrum latus occupante, & pondere eo verſus totum uterum detrahente, elongata eſſent dextri lateris ligamenta. Aperto uteri cavo in dextro latere principium ſimilis tumoris conſpiciebatur, nondum tamen piſum magnitudine ſuperans (*m*). Secto externo uteri involucro tumor major ex ſubſtantia uteri eradicari totus potuit, veramque ſic exhibuit magnitudinem (*n*). Ipſius autem interiora pinguedini induratæ non erant abſimilia (*o*).

Alius longe, & revera ſingularis plane, naturæ tumor fuit (*p*), quem, utero annexum, in cadavere ejusdem vetulæ vidi, ex quo jam alia præternaturalia memoravi (*q*). Hic, magnitudine pugnum æquans, pondere libram dimidiam ſuperans, ſic parti poſteriori

(*k*) Tab. VII. Fig. 1. f. f.
(*l*) Tab. VII. Fig. 1. g. g.
(*m*) Tab. VII. Fig. 2. f.
(*n*) Tab. VIII. Fig. 1.
(*o*) Tab. VIII. Fig. 2.
(*p*) Tab. VIII. Fig. 3. 4.
(*q*) Vid. caput ſecundum pag. 49. 54.

riori matricis, parvæ, flaccidæ, accreverat, ut ex ipſa ſubſtantia videretur productus, & externa tunica illum ſimiliter complecteretur. Superficies tumoris inæquabilis admodum erat, ac tuberculata (*r*); ſecto externo ejus velamento facile ab utero ſeparabatur, tuncque in duos diſtinctos tumores dividi valuit (*s*); alterum majorem, tuberculatum (*t*), alterum minorem, ſimiliter inæquabilem (*v*), & cum majori celluloſæ ope cohærentem (*w*). Tumor, magnam pelvis partem adimplens, compreſſione ſua in vicina organa egiſſe, & multum incommodi attuliſſe, vel inde concludere potui, quoniam uteri parietes, ad ſe invicem continuo per veſicam urinariam, de tempore in tempus lotio diſtentam, ab anteriore, per tumorem a poſteriore appreſſi, ferme penitus cohærebant, ſic ut vix ullum cavi uterini veſtigium ſupereſſet. Tanto majores autem moleſtiæ inde oriri debuerunt, quoniam tumor non mollis, non preſſioni cedens, ſed duriſſimus erat, ſic ut attactus ad minimum cartilagineam duritiem habere videretur. Sectus tumor non niſi ſumma difficultate (*x*), non car-

(*r*) Tab. VIII. Fig. 3. a. b. b. b. b.

(*s*) Tab. VIII. Fig. 3. a. c.

(*t*) Tab. VIII. Fig. 3. a. b. b. b. b. Fig. 4. a. b. b.

(*v*) Tab. VIII. Fig. 3. c. d. d. Fig. 4. d.

(*w*) Tab. VIII. Fig. 3. d. d.

(*x*) Tab. VIII. Fig. 4.

cartilaginem, ſed verum os oſtendit, ſic tamen, ut non continuum os intus lateret, verum plurima concrementa oſſea per totum tumorem eſſent diſperſa (*y*), velamento craſſiori externo comprehenſa(*z*), quæ tanto numero parti molliori inhærebant, ut vel acutiſſimo cultro vix ac ne vix quidem tumor dividi potuerit.

Fuerunt ab aliis etiam varii generis tumores in uteri ſubſtantia viſi. Notatu præprimis digni ſunt, de quibus Ill. Boehmer, Boettger, atque Baader, mentionem fecerunt.

Deſcripſit quippe Boehmer (*a*), tumorem tunicatum, ex atheromate & ſteatomate compoſitum, intra ſubſtantiam quidem fundi uterini enatum, ſed externe tantum protuberantem, in cadavere melancholicæ, quæ deſperabunda, laqueo collo injecto, ſe ipſam vita privavit. Pars uteri ſupra pelvim prominens propria incluſa erat capſula, quæ in loco, ubi cum ſubſtantia ejus continua fuit, craſſior, ſuperius autem membranacea reperiebatur; reclinatis diviſæ cyſtidis partibus, corpus in conſpectum prodibat magnum, ſphæricum fere, ponderis unciæ unius cum dimidia, capſulæ fundoque uteri ope telæ fibroſæ junctum. Exterior ejus dura & oſſea cruſta

(*y*) Tab. VIII. Fig. 4. c. c. c. (*z*) Tab. VIII. Fig. 4. b. b.
(*a*) Obſervat. Anatom. rar. faſc. 2. pag. 44. tab. 2. fig. 1 & 2.

ſta quatuor quaſi oſſibus inæqualibus, planis, membrana inter ſe adunatis, & in medio hiatu veluti quadrangulari confluentibus, compoſita erat. Interius materiam continebat pultaceam, interpoſitis partibus pinguedinoſis, inſtar lardi, nec non ſubſtantiam ſpongioſo-celluloſam.

Ex communicatione Celeb. Friedii Hiſtoriam morbi & mortis mulieris ex ſarcomate, circa uterum reperto, enarravit Boettger (*b*). Mulier cælebs de inſigni tumore, magno, duro, ad tactum dolente, in regione hypogaſtrica conquerebatur. Non diu a nuptiis imprægnata, durante graviditate, varia mala ſenſit, quæ ſexto menſe inſigniter increverunt, ſic ut eo menſe præmaturum enixa ſit fœtum, vix quatuor horas ſuperſtitem. Primis puerperii diebus omnia naturæ convenienter procedebant, dein vero ſpaſtici per abdomen dolores, lochiorum ſuppreſſio, febris, purpura rubra acceſſerunt, & vitæ demum finem impoſuerunt. In cadavere, cujus ſectionem ipſa ægra petierat, inventum eſt Sarcoma, fundo uteri adnatum, & totam ventris regionem lumbalem replens, ſex libras cum uncia pendens. Membrana, quæ uterum inveſtiebat, etiam tumorem obduxit. Subſtan-

(*b*) Diſſ. de inflammatione uteri cum ſubjuncta obſervatione de uteri Sarcomate, Præſide Timmermanno. Rintelii 1761. pag. 69. ſeq.

ſtantia muſculoſo-nervea erat, membrana externa pollicem cum dimidio craſſa, in ea ſeptem ſtrata fibrarum conſpiciebantur, quibus remotis aliud corpus rotundum, membrana celluloſa obvolutum, apparuit, quod ex vaſis coagulato ſanguine repletis conſtare videbatur.

Inſignis etiam magnitudinis fuit ſcirrhus ex poſteriore parte uteri, qua inteſtino recto hic incumbit, enatus, quem deſcripſit Baader (*c*). Superius ſub meſenterio & peritonæo ad renem dextrum usque adſcendebat, ut hoc ipſo in itinere tum venam tum arteriam iliacam, tum etiam ureterem dextrum, compreſſerit; inferius inter vaginam & inteſtinum rectum ad ſphincterem ani fere deſcendebat, & inteſtinum rectum ſatis valida compreſſione anguſtabat, adeo ut minime mirum ſit, inter alia ſymptomata, alvo tarda, difficili; dolore, lancinante, ardente, rodente, lumborum; hæmorrhoidibus cæcis dolentibus; dolore, contractione, emaciatione pedum; ſtranguria, dyſuria, iſchuria, laboraſſe, quippe quæ mala omnia ex compreſſione partium facile explicantur (*).

Ta-

(*c*) Obſervat. Medic. inciſionibus cadaverum anatomicis illuſtr. obſ. 39. pag. 170. ſeq.

(*) Deſcripſerunt & alii obſervationes, huc referendas. Steatoma,

Tales jam ſi formari in partibus uteri, ſi ipſi matrici accreſcere poſſunt, tumores, minime mirum, illos inter ſterilitatis, abortus, & partus difficilis, aut & impoſſibilis, cauſas referri; vel enim ſic comprimunt uteri oſtium, ut genituram omnino non admittat (*d*), & Hippocrates ea propter induratos uteros conceptui obſtare jure monuerit (*e*), vel impediunt, quominus, conceptu facto, extendi ſemet patiatur uterus, & efficiunt, ut fœtus immaturus abortu rejiciatur (*f*), vel, etiamſi ad maturitatem devenerit, non tamen exire, & partu in lucem emitti, valeat (*g*), au-

ma, uteri fundo adhærens, cujus cavitatem materia ſevi ſimilitudine replebat, notavit Rhodius cent. 3. obſ. 46. Excreſcentiam piriformem ſchirroſam adhærentem externæ ſuperficiei fundi uteri Buddeus in Miſcellan. Berolin. Contin. 3. obſ. 3. pag. 19.; Tumorem abdominis hydropicum cum tuberibus in utero Peyer Parerg. 6. pag. 247. Tumorem fundo uteri externe adhærentem Crellius in Programmate Witteb. 1739. edito, & recuſo in Ill. Halleri Collect. Diſput. Chir. Tom. 3. pag. 634. Sarcoma uteri notabilis molis Boehmer Act. Acad. Nat. cur. vol. 9. App. pag. 59. ſeq. Tumorem magnum ponderoſum Büttner Anatomiſche Wahrnehmungen. pag. 8.

(*d*) Hildanus Obſerv. Chir. Cent. 1. obſ. 65. 66. pag. 51. Morgagni de ſed. & caus. morb. epiſt. 39. art. 13.

(*e*) De natura muliebri art. 31. Edit. Lind. Tom. 2. pag. 391. & de morbis mulierum lib. 2. art. 45. Tom. 2. pag. 576.

(*f*) Chapman Widwifery. caſ. 35. pag. 212. Boettger Diſſ. de inflammatione uteri &c. pag. 71.

(*g*) Littre in Hiſt. de l'Acad. des Sciences. an. 1705. pag. 52.

aut &, egreſſu penitus impedito, disrumpatur uterus (*h*). Non autem concludat quis, ſcirrhos vel tumores hosce dicto ſenſu non nocere, quoniam ſæpius inventi fuerunt in cadaveribus fæminarum, quæ plus ſemel felici partu fœtum in lucem emiſerant (*i*), ſciat enim, non raro hos tumores abortum (*k*), vel rudiorem obſtetricis operam (*l*), vel uteri in puerperio inflammationem (*m*) inſequutos eſſe, & poſtea tunc ſteriles manſiſſe tales fæminas (*n*), ac valetudinariam traxiſſe vitam; multorum etenim ſymptomatum cauſam tales tumores ſiſtunt: deſcendit propter auctum pondus uterus, ut digitus vaginæ immiſſus citiſſime ipſi & tumori occurrat, inceſſus maxime incommodus fit, comprimit tumor rectum & veſicam urinariam, ſic ut nec fæces nec urina commode excerni

pos-

Bartholini Hiſt. Anat. rar. Cent. 1. obſ. 94. pag. 139. Boehmer Act. Acad. Nat. cur. vol. 9. App. pag. 59. ſeq.

(*h*) Hildanus cent. 1. obſ. 67. Bartholinus de inſolitis partus viis cap. 3. pag. 21. Blancard Anat. Pract. Ration. obſ. 22. pag. 233. Conf. Roederer Diſſ. de uteri ſcirrho art. 12. & Crantz de rupto in partus doloribus a fœtu utero. pag. 9. 10. not. p.

(*i*) Fæmina, de qua loquitur Baaderus obſ. med. 39., quindecim prolium mater erat.

(*k*) Morgagni de ſed. & caus. morb. Epiſt. 39. art. 12.

(*l*) Mauriceau Obſervat. ſur la Groſſeſſe & l'accouchement obſ. 387. pag. 321. obſ. 418. pag. 346.

(*m*) Hildanus Cent. 1. obſ. 66. pag. 51.

(*n*) Hildanus, Mauriceau, Morgagni, loc. cit.

poſſint, imo compreſſio ad oſſa pubis ſæpe tanta eſt, ut veſicæ ne minima pars conſpici potuerit (*o*); increscens ulterius magnitudine tumor (*p*) in reliqua abdominalia viscera agere debet, illorum functiones impedire, circulationem in iis ſiſtere, & hoc pacto gangrænam producere (*q*). Dolor, primum quidem non niſi compreſſo abdomine, aut explorato uteri orificio, percipiendus, poſtea ſenſim adaugetur, &, ſi ſcirrhus in cancrum abit, lancinans, intolerabilis ferme evadit, ſic ut mortem miſeræ vitæ præferant ægræ; ruptoque verſus uteri cavum tumore, humor fœtidus, acris, partes omnes arrodens, conſumens, tamdiu ex utero et genitalibus ſtillat, donec febris hectica corpus conſumſerit, & mors miſeriis omnibus finem imponat.

(*o*) Smellie caſes in Midwifery vol. 2. pag. 112.

(*p*) Viſi tales tumores, pondere libras quindecim, octodecim, imo quadraginta, ſuperantes. Roederer Diſſ. de uteri ſcirrho. art. 16.

(*q*) Smellie lib. cit. pag. 116.

CAPUT NONUM.

De duro quodam corpuſculo, nervo auditorio adhærente.

Cauſarum, quæ auditum obtundunt, maximum eſſe numerum, ſummam diverſitatem, multiplicem ſedem, quum plurimæ partes ſunt, & plures etiam ſingularum conditiones, quæ, cum ad integritatem hujus ſenſus faciant, vitiari nequeunt, quin functio impediatur, recte monuerunt Pathologi (*a*), probarunt Anatomici (*b*), ac merito ſurditatem morbum unum & millecuplum vocare ſolebat Boerhavius (*c*). Inveſtigatio autem harum cauſarum tanto difficilior eſt, quanto magis intricata auris internæ fabrica, auditus enim organum inter omnia ſenſuum organa maxime compoſitum habetur (*d*). Sedem ſuam figere valent, vel in meatu auditorio & ante

(*a*) Conf. Clar. Gaubii Inſtit. Patholog. Medicin. pag. 371.

(*b*) Bonet Sepulchret. Anat. vol. 1. pag. 435. ſeq. Haller in notis ad Boerhavii Prælect. in proprias inſtit. med. Tom. 4. pag. 417. Morgagni de ſed. & caus. morb. epiſt. 14.

(*c*) Prælect. in proprias inſtit. med. ed. Hallero tom. 6. pag. 17.

(*d*) Boerhave lib. cit. tom. 4. pag. 406.

ante membranam tympani, vel in ipſa hac membrana, vel pone eandem in tympano, diverſisque ipſius partibus, tuba Euſtachiana, veſtibulo, labyrintho, cochlea, aut & in ipſo cerebri conceptaculo, ſic ut organo inviolato apparatus nerveus, huic ſenſui dicatus, vario modo adficiatur.

Probare & ulterius confirmare hæc videntur, quæ in capite fœminæ vidi. In hoc quippe cerebri varias demonſtrationes exhibiturus, ac baſin encephali cum nervorum originibus examinans, corpusculum nervo auditorio dextro adhærens, tantæ duritei, ut ferme cartilaginem referret, perſpexi (*e*). Adnectebatur non tantum firmiter parti inferiori dicti nervi (*f*), ſed & cohærebat cum proxima medullæ oblongatæ parte, unde ſeptimum hoc nervorum par egreditur (*g*), ſeſe pariter inſinuans foramini, in parte interiore partis petroſæ oſſium temporum obvio, quod dictus nervus intrat (*h*). Longitudo hujus corpusculi erat ſex linearum (*i*), latitudo in parte latiore quinque (*k*), in parte minus lata trium (*l*), craſſities qua-

(*e*) Tab. VIII. Fig. 5. 6. 7. & f.

(*f*) Tab. VIII. Fig. 5. 6. a.

(*g*) Tab. VIII. Fig. 5. 6. b. ad d.

(*h*) Tab. VIII. Fig. 5. 6. c.

(*i*) Tab. VIII. Fig. 5. inter c. ad b.

(*k*) Tab. VIII. Fig. 5. a d.

(*l*) Tab. VIII. Fig. 5. a. c.

quatuor lineas circiter æquabat. Superficies valde erat inæquabilis, præcipue in parte illa, quæ conceptaculi cerebri baſin reſpiciebat, & in varia majora, minora, tubercula, exſurgebat (*m*). A nervo ſeparari absque læſione non potuit, ex foramine etiam, quod nervus intrat, non plane liberari, facilius a parte medullæ oblongatæ, cum qua, ut dictum, etiam cohærebat. Diſſectum hoc corpuſculum corticem, ſeu partem exteriorem, exhibuit duriorem (*n*), interiorem, molliorem quidem, ſic tamen, ut particulæ duriores interſperſæ eſſent (*o*).

Compreſſiſſe hoc corpusculum nervum auditorium, ſitus & firmus nexus manifeſto oſtendebant, probabat fovea ibi loci in medulla oblongata & vicinis partibus mollibus conſpicua, confirmabat ulterius tuberculi productio in foramen nervi auditorii, capacitate maximopere imminutum, comparatio denique nervi auditorii dextri cum ſiniſtro.

Aderat itaque hoc in caſu ſurditatis cauſa, in cerebri conceptaculo latens, ad quam nec medicamentis, nec manui acceſſus dabatur, quæque proinde plane incurabilis erat dicenda, ſicque probatur, non tantum humorum effuſiones, cariem atque exoſtoſes (qui-

(*m*) Tab. VIII. Fig. 5. d. d. d. b. b. b.
(*n*) Tab. VIII. Fig. 7. a. a. a. (*o*) Tab. VIII. Fig. 7. c. c.

(quibus ſic comprimi ſeptimum nervorum par, ut in functione ſua impediatur, recte ſtatuitur (*p*)) ſed etiam tumores varii generis in conceptaculo cerebri enatos, æque ac alias cerebri aut vicinarum partium degenerationes (*q*), idem malum adferre poſſe.

Nec credat quis, compreſſionem nervi auditorii, hac aliave de cauſa factam, falſo ſurditatis aut ſaltem auditus difficilis cauſam dici; notum enim, nervorum uſum impediri, partemque paralyticam fieri, ſi truncus nervoſus, ad partem tendens, comprimitur (*r*); notum, cæcitatem, compreſſo nervo optico per extravaſatum ſanguinem (*s*), hydatides (*t*), col-

(*p*) Inſp. Doct. Jorisſen Diſſ. ſiſtens novæ methodi ſurdos reddendi audientes phyſicas & medicas rationes, Præſide Ill. Buchnero Halæ 1757. defenſa; & A. E. Buchners Abhandlung von einer beſondern und leichten art taube hörend zu machen; nebſt noch einigen andern vormals beſonders bekannt gemachten mediciniſchen Abhandlungen. Halle 1759.

(*q*) Lieutaud Hiſt. Anat. Tom. 2. pag. 186. 187.

(*r*) Tumentes axillæ glandulas, dimotum e ſua ſede & verſus axillæ cavum propulſum oſſis humeri caput, preſſione in nervos brachii, ſæpe membri paralyſin producere, obſervatores probarunt Vid. van Swieten Comment. in Aphor. pract. Boerhavii Tom. 1. pag. 605. 856. Cramer de paralyſi & ſetaceorum adverſus eam eximio uſu, in Theſaur. Diſſert. vol. 1. pag. 143.

(*s*) Bonet Sepulchret. Anat. Tom. 1. pag. 423. Morgagni Epiſt. Anat. 13. pag. 494. Guerin Mal. des Yeux. pag. 254.

(*t*) Inſignem veſicam, libram ſemis aquæ limpidiſſimæ continentem,

collectionem aquæ (*v*), ſteatomata (*w*), lapides (*x*) & impedita his, aliisve etiam de cauſis (*y*), vi nervea, ſæpius produci, adeo ut, idem quoad nervum auditorium locum habere debere, concludere liceat, & Drelincurtii obſervatione, qui cæcitatem, ſurditatem, lethalem denique apoplexiam, ex tumore ſteatomatoſo, inter cerebrum & cerebellum hærente, natam vidit (*z*), probari poſſit.

tem, nervos opticos compreſſiſſe & amauroſin produxiſſe, obſervavit Paw Obſervat. Anat. 2. edit. cum Hiſtoriis Anatomicis rarioribus T. Bartholini.

(*v*) Wepfer Exercit. de Apoplexia hiſt. 4. Hildani Obſervat. cent. 1. obſ. 50. Brunner Eph. nat. cur. cent. 1. & 2. obſ. 69. Bromfield Chirurgical obſerv. and caſes. vol. 1. pag. 35. De Haen rat. med. vol. 2. pag. 208. Edit. Leid.

(*w*) Plater Obſervat. lib. 1. pag. 102. 103. Gunzius apud Oehme Diſſ. de Amauroſi in A. Halleri Collect. Diſſ. Chir. vol. 2. pag. 278. Muzell Medicin. und Chirurg. Wahrnehm. 2 St. pag. 91. Nat. en Geneesk. Bibliotheek. I. D. pag. 305.

(*x*) Blegny Zod. med. Gall. 1679. menſ. maj. obſ. 14.

(*y*) Conf. Ernon Diſſ. de Amauroſi pag. 22. Nootnagel de amauroſi. art. 14. pag. 12.

(*z*) Bonet Sepulchret. Anat. Tom. 1. pag. 123.

C A-

CAPUT DECIMUM.

De Appendice ex inteſtino Ileo enata.

Propoſuit principio hujus ſeculi novam herniæ ſpeciem Clar. Littre (*a*), in eo ab aliis discrepantem, quod inteſtinum non toto ſui cavi ambitu, ſed parietis aliqua tantum ſede, in proceſſum diducta, intra ſaccum herniæ recipitur; hanc poſtea Littrianam herniam vocarunt. Viderat Littre ex ileo enascentem talem appendicem, per fiſſuram obliqui externi muſculi in inguen delapſam (*b*). Viderunt ſimilem alii (*c*), imo ex uno eodemque inteſtino plura talia diverticula prodeuntia conſpexerunt nonnulli (*d*), absque ut tamen hernia ſemper adfuerit.

Non

(*a*) Mem. de l'Acad. des Sciences an. 1700. pag. 300.

(*b*) Loc. cit. ubi figura appendicis etiam exhibetur.

(*c*) Ruisch Theſ. anat. 7. tab. 4. fig. 2. 3. Catal. rarior. pag. 149. fig. 3. Weitbrecht Act. Petropol. tom. 4. pag. 263. tab. 24. fig. 1. 2. Hunauld Mem. de l'Acad. des Sciences an. 1732. pag. 29. Meibom de vaſis palpebrarum in faſc. quatuor opuſc. anat. pag. 128. Breslauer Samml. 18. Verſuch pag. 540. Bonazziolus Comment. de Bononienſi ſcient. Acad. Tom. 2. part. 1. pag. 141. Ulhoorn in not. ad verſionem belgicam Inſtit. Chir. Heiſteri pag. 929. & tab. adj. 12. fig. 12.

(*d*) Nonnunquam in ileo inteſtino tres appendices membranoſas, adeo latas, ut pollicem excipere potuiſſent, notavit Riolanus Anthrop. lib. 2. cap. 24. pag. 104. Tres memorat Schröckius Eph. Nat. Cur.

cent.

Non improbabile viſum Littrio fuit, talia diverticula a pariete inteſtini, in ſacco herniæ detento, ſenſim, ut appendicem forment, ita produci, viditque illa tenuia admodum, nullis fibris muſcularibus conſpicua. Et Hallerus ſtatuit, laxata alicubi musculoſa membrana, aërem & fæcem, a vicinis fibris transverſis promotam, incumbere in hanc partem minus reſiſtentem, illamque extendere. Et ſane, ſenſim præter naturam produci tales appendices, negari nequit (*e*), verum ſemper hoc pacto oriri longe a veritate abeſt. Suſpicatus hoc jam eſt Tabarrani (*f*), qui, ſubinde relaxatione & dilatatione tunicarum inteſtini illas formari concedens, credidit, connatas ſæpiſſime eſſe, & jam ante nativitatem exſtare. Adſtipulatur huic opinioni Celeb. Morgagni (*g*), aſſerens, a prima origine ſine dubio formatam eſſe illam, quam in vetula deprehendit, quippe eadem parietum ſubſtantia & craſſitie ex ileo, qua propius colo erat quam jejuno,

cent. 8. obſ. 50. pag. 331. Sex Gunzius Obſervat. de herniis pag. 6. not. e. Conf. Halleri Elem. Phyſiol. tom. 7. pag. 96. qui plures citat.

(*e*) Schlichting Act. Acad. Nat. Cur. Tom. 6. obſ. 21. pag. 106. tab 2. fig. 1.

(*f*) Atti dell' Academia di Siena Tom. 3. App. pag. 99. Bibliotheek X. D. pag. 539.

(*g*) De ſedibus & cauſis morborum Epiſt. 34. art. 16.

juno, ad perpendiculum pendentem. Hujus etiam generis fuiſſe videtur, quem Weitbrechtus deſcripſit, proceſſus, non enim, ut dicit (*h*), pro aliqua ilei dilatatione, ſaccum formante, haberi poterat, ſiquidem ſuis propriis ligamentis ac fibris motricibus erat præditus. Et dubitandi nullus relinquitur locus, quin appendix, a Zwingero viſa, ante nativitatem extiterit. Hic in infante, paucis a partu diebus exrinčto, in ileo, decem circiter pollices a ſuo fine, quo colo inſeritur, conſpexit appendicem præternaturalem, cæcam, magnitudine & figura ad uvulam hominis adulti accedentem, vel digitale parvum referentem, extremo altero convexam & clauſam, media parte cylindricam, intus cavam, altero autem extremo orbiculari aperto, ad excipiendum apicem digitorum apto, cohærentem lateraliter inteſtino, inoſculatione lata, ut flatum, cæteris inteſtinis immiſſum, facile admitteret (*i*).

Confirmare hanc obſervationem, & revera connatum eſſe poſſe tale vitium, ulterius probare lubet, ſimili, facta in infante, vel in ipſo partu vel mox a nativitate mortuo, in quo, præter alia, differentiam,

(*h*) Act. Petropol. tom. 4. pag. 263.
(*i*) Act. Acad. Nat. Cur. vol. 1. obſ 82. pag. 157.

tiam, quæ, quoad viscera thoracis & abdominis, inter adultum atque fœtum datur, publice oſtendi.

Appendix hæc ex inteſtino ileo enascebatur, & ſingulari modo cum meſenterio cohærebat (*k*). Ex parte illa inteſtini, quæ meſenterio oppoſita eſt, diverticulum amplo admodum enascebatur oſtio (*l*), in cæcum finem deſinens (*m*), ejusdem circiter capacitatis, ejusdem craſſitiei, quoad tunicas, ac inteſtinum ipſum, facillime aërem admittens, illoque diſtentum, apice incurvatum. Ex illo apice filum enascebatur tenue, forte tamen, ad ſuperiorem meſenterii partem tendens (*n*), illique diverticulum hoc adnectens. Ante nativitatem hanc appendiculam extitiſſe, nullum dubium eſt. Pluribus vero malis, ſi natalem diem ſupervixiſſet infans, anſam dare potuiſſe hanc præternaturalem conformationem, ex inſigni inteſtinorum mobilitate, & facile enascenda conſtrictione (*o*), quisque concludet, præſertim cum in cadaveribus hominum, iliaca paſſione ereptorum, ſimile quid viſum fuit (*p*).

Li-

(*k*) Tab. VIII. Fig. 8.
(*l*) Tab. VIII. Fig. 8. b.
(*m*) Tab. VIII. Fig. 8. c.
(*n*) Tab. VIII. Fig. 8. d.

(*o*) Conſulatur Doct. Brüning obſervatio circa ileum morbum, quæ multa, lectu digniſſima, circa primarias ejus cauſas, continet. in Novis Act. Acad. nat. cur. Tom. 5. pag. 250. ſeq.

(*p*) Paſſio iliaca ſubito lethalis, cujus deſcriptionem honorat. coll. van

Licet in ileo inteſtino plerumque fuerint viſæ hæ appendices, non tamen in ſola hac tubi inteſtinalis parte ſeſe monſtrarunt, ſed & in duodeno & in recto diverticula talia conſpecta leguntur. In duodeno viri apoplectici, duobus fere digitis infra pylorum, cellulam, non multum extuberantem, ſed orificio digitum admittente, nulla cinctam tunica, præter extimam, ſic tamen ut nullum omnino ſive præſentis ſive præteritæ exulcerationis ibi, aut in ventriculo, totove inteſtinorum tubo extaret indicium, vidit Morgagni (*q*). Idem in cadavere mulieris, quæ nullo unquam affectu ad illum locum pertinente laboraverat, in poſtica Recti pariete, tribus fere digitis ſupra anum, cellulam vidit minoris ficus magnitudine, ex eadem atque inteſtinum ſubſtantia, tunica interna læviſſima, & orificio reliquæ cavitati ferme æquali cum ejusdem inteſtini tubo communicantem (*r*). In ileo aliquoties, pollicem & ultra longas, appendices, ejusdem capacitatis, ac inteſtinum ipſum, animadverti, neutiquam in inteſtino alio.

van Doeveren debemus, ab incarceratione inteſtini interna, facta erat per funiculi ſpeciem, ex cœco extremo diverticuli, ab ileo enati, prodeuntem. Vid. Specim. Obſervat. Acad. cap. 5. pag. 76. ſeq.

(*q*) De ſed. & caus. morborum Epiſt. 34. art. 17.

(*r*) Idem Adverſ. Anat. III. animadv. 5. pag. 9.

FIGURARUM EXPLICATIO.

TABULAE I.

Cordis ventriculus dexter, una cum ſinu & aure, apertus.

a. a. Ventriculus dexter apertus.

b. Ventriculus ſiniſter.

c. c. c. Vaſa coronaria per externam ejus ſuperficiem diſtributa.

d. Sinus dexter apertus.

e. Dextra auricula aperta.

f. Vena cava ſuperior.

g. Venæ cavæ inferioris orificium, absque ullo valvulæ Euſtachianæ veſtigio.

h. Valvula foraminis ovalis.

i. Foramen, non penitus adnexa margini valvula, ſuperſtes.

k. Venæ coronariæ orificium.

l. l. Margini orificii venoſi adhærens membrana, in valvulas tricuſpidales fiſſa.

m. m. m. Valvulæ tricuſpidales, filamentis ſuis ad columnas carneas tendentes.

n. n. n. n. Columnæ carneæ.

o. o. o.

o. o. o. Corpuſcula inæqualia, granuloſa, valvulis adhærentia.

p. Via ad arteriam aörtam.

q. Arteria aörta.

Vide Caput I.

TABULAE II.

Secto ſinu dextro, ubi aörtæ accumbit, cum margine orificii venoſi valvulas formante, fiſſa etiam & explicata arteria aörta, hujus ortus & communicatio cum dextro æque ac ſiniſtro ventriculo.

a. a. Ventriculus dexter apertus, maxime expanſus.

b. Ventriculus ſiniſter.

c. c. c. Vaſa coronaria per externam ejus ſuperficiem diſtributa.

d. Sinus dexter apertus, ab aure reſectus, atque remotus.

e. Dextra auricula aperta, a ſinu remota.

f. Vena cava ſuperior.

g. Vena cava inferior.

h. Valvula foraminis ovalis.

i. Foramen ſuperſtes.

k. Venæ coronariæ orificium.

Alium longe ſitum partes hæ, ut & aliæ, habent, quam in Tabula prima, quoniam omnes, alia ſectione facta, magis ab invicem ſunt dimotæ.

l. l. Mar-

l. l. Margini orificii venoſi adhærens membrana, in valvulas tricuſpidales deſinens, jam diſſecta.

m. m. m. Valvulæ tricuſpidales, filamentis ſuis ad columnas carneas tendentes.

n. n. n. n. Columnæ carneæ.

o. o. o. Corpuſcula inæqualia, granuloſa, valvulis adhærentia.

p. p. Arteria aörta aperta maxime expanſa.

q. q. Valvulæ binæ ſemilunares aörtæ.

r. r. Orificia arteriarum coronariarum pone has valvulas.

s. s. Tertia valvula medio diſſecta.

t. Margo lævigatus, dextrum ventriculum a ſiniſtro diſtinguens, & aörtæ principium in binas partes dividens.

v. Via verſus ventriculum ſiniſtrum.

w. Via verſus arteriam pulmonalem.

x. x. Stilus per arteriam pulmonalem propulſus, vix ab ejus orificio admiſſus.

Vide Caput I.

Tabulae III.

Fig. 1.

Arteria aörta, a ſuperiore inſpecta, ut margo inter

ter dextrum & ſiniſtrum ventriculum, ortus vero & communicatio aörtæ cum utroque, pateat.

a. a. a. Arteria aörta expanſa.

b. c. d. Tres valvulæ ſemilunares.

e. e. Orificia arteriarum coronariarum.

f. Margo inter binos ventriculos.

g. Via ad ventriculum ſiniſtrum.

h. Via ad ventriculum dextrum.

Fig. 2.

Eadem aörta, ſic ſecta verſus dictum marginem, ut tanto melius cernantur partes, quas figura prima monſtrat.

a. a. a. Arteria aörta expanſa.

b. c. Binæ valvulæ ſemilunares.

d. d. Orificia arteriarum coronariarum.

e. e. Tertia valvula ſemilunaris, medio fiſſa.

f. Margo inter binos ventriculos.

g. Via ad ventriculum ſiniſtrum.

h. Via ad ventriculum dextrum.

Fig. 3.

Arteria pulmonalis a ſuperiori inſpecta.

a. a. a. Arteria pulmonalis expanſa.

b. b. Orificium ipſius, degeneratis valvulis, & ſubſtantia ſingulari granuloſa, oppletum.

c. Foramen, valde exiguum, ſuperſtes.

Fig. 4.

Arteria pulmonalis ſic ſecta, ut valvulæ & ſubſtantia granuloſa conſpici poſſint.

a. a. Arteria pulmonalis ſecta & expanſa.

b. b. Binæ valvulæ in orificio hujus vaſis præſentes.

c. c. Corpuſcula granuloſa, valvulis adhærentia, totumque orificium ferme opplentia.

d. Simile corpusculum, ex arteria progerminans.

Fig. 5.

Corpuſculum tale granuloſum, magnitudine adauctum.

De his Vide Caput I.

Fig. 6.

Oſtium arteriæ aörtæ explicatum, cum valvulis ſemilunaribus, maxime degeneratis.

a. a. a. a. Oſtium arteriæ aörtæ explicatum.

b. Valvula prima.

c. c. c. Margo valvulæ vitiatus, in majores minoresque excrescentias progerminans.

d. Secunda valvula.

e. e. Inæqualitates, tubercula, ex hac valvula enata.

f. Foramen notabile, ad ipſam aörtæ ſubſtantiam alte penetrans.

g. Ero-

g. Eroſio orificii hujus arterioſi.

h. Tertia valvula.

i. i. Inæqualitates & excreſcentiæ hujus valvulæ.

k. Species foraminis ex laciniarum conglutinatione enaſcens.

l. Eroſio ipſius oſtii arterioſi infra valvulas.

m. m. Orificia arteriarum coronariarum.

Fig. 7.

Valvula tertia prout ſeſe in aqua explicuit.

a. Pars aörtæ pone valvulam.

b. Valvula ipſa, Fig. 6. h., lacerata.

c. Lacinia, quæ loco d. adglutinata ſpeciem foraminis, Fig. 6. k, exhibuit.

Fig. 8.

Eadem valvula cum dependente lacinia, aucta conſpicillo magnitudine.

Fig. 9.

Pars poſterior arteriæ aörtæ, quæ, vertebris applicata, originem præbet arteriis intercoſtalibus, miro modo eroſa.

a. -- k. Orificia arteriarum intercoſtalium, & eroſiones circa hæc oſtia.

De his Vide Caput II.

TABULÆ IV.

Renes ambo ex cadavere virili, dexter ex cadavere fæminæ, forma, vaſorum numero, diſtributione, pelvis figura, notabiles.

Fig. 1.

a. Ren dexter ſolitæ figuræ.

b. c. Ren ſiniſter aliter, quam ſolet, formatus. b. Anterior ſuperficies brevior poſteriore. c. Poſterior, ultra anteriorem ſeſe ſpinam verſus extendens, ſic ut ſinus quaſi inter b. & c. relinquatur.

d. d. Renes ſuccenturiati.

e. Arteria Aörta.

f. Arteria renalis dextra ſuperior.

g. Arteria renalis dextra inferior.

h. Arteria renalis ſiniſtra ſuperior.

i. i. Bini hujus rami.

k. Arteria renalis ſiniſtra inferior.

l. Arteriarum ſpermaticarum origines.

m. Arteria meſenterica inferior.

n. n. Arteriæ iliacæ.

o. o. o. Vena cava, ejusque diviſio in iliacas.

p. Vena renalis dextra ſuperior.

q. Vena renalis dextra inferior.

r. Ve-

r. Vena ad renem ſuccenturiatum tendens.
s. Ramus hujus venæ ad renem.
t. Vena renalis ſiniſtra.
v. Ramus ipſius ad renem tendens.
w. Ramus ad renem ſuccenturiatum.
x. Ramus deorſum tendens, & originem præbens.
y. Alteri venæ renali ſiniſtræ &
z. Venæ ſpermaticæ ſiniſtræ.
α. Vena ſpermatica dextra.
β. Pelvis renis ſiniſtri.
1. 2. 3. 4. 5. Quinque ipſius rami.
γγ. Ureteres.

Fig. 2.

a. Ren dexter, cujus vaſa arterioſa, venoſa, ab origine diſſecta, ſurſumque reflexa ſunt, ut Pelvis cum ramis ſuis tanto melius conſpiceretur.

b. Arteria renalis.

c. Ramus hujus arteriæ a latere interiore pone pelvim ſeſe dimittens.

d. Alter ramus ſuperiorem renis partem intrans.

e. f. Tertius ramus, inter binos ramos venæ renalis progrediens, & a latere exteriore deſcendens.

g. Vena renalis.

h. i. k. l. Quatuor ipſius rami variis locis ſubſtantiam renis ingredientes.

m. Superficies poſterior renis ultra anteriorem multum prominens.

n. Pelvis renis.

o. p. q. r. s. Quinque ipſius rami.

t. Ureter.

Vide Caput V.

TABULÆ V.

Calculus Renalis inſignis magnitudinis, ponderis, figuræ.

Fig. 1. 2.

Calculus ab uno & altero latere magnitudine naturali exhibitus.

a. b. c. d. e. f. g h. i. Novem tubercula variæ formæ atque magnitudinis, quæ totidem ramis pelvis inhæſerunt, horum unum i. in octo iterum eminentias ſurgit; a. g. planiorem ſuperficiem habent; b. c. d. confluunt invicem; e. h. figuram papillæ mammæ muliebris habent.

k. Corpus calculi craſſum admodum, quod adimplevit capacitatem pelvis renis.

l. Finis rotundus verſus ureteris principium ſeſe extendens.

Fig. 3.

Idem calculus, ab ea parte viſus, quæ ſubſtantiæ renis

renis & ramis pelvis inhæſit, magnitudine imminutus.

a. b. c. d. e. f. g. h. i. Novem tubercula, iisdem litteris in Fig. 1. & 2. deſignata.

k. k. Superficies calculi ſpatiis inter tubercula mediis glabra atque polita.

l. Corpus calculi craſſum admodum.

m. Rotundus ipſius finis.

Fig. 4.

Idem calculus viſus ab ea parte, quæ principio ureteris inhæſit.

a. b. c. d. f. g. h. i. Tubercula, iisdem litteris in Fig. 1. 2 3. oſtenſa; tuberculum e. Fig. 1. 2. 3. hoc in ſitu conſpici nequit.

l. Corpus calculi.

m. Rotundus ipſius finis.

Vide Caput VI.

TABULÆ VI.

Caput, cujus maxilla inferior in latere ſiniſtro vera anchyloſi cum ſuperiori concrevit.

Fig. 1.

Caput ab anteriore.

a. a. Pro-

a. a Prominentes maxime ſinus frontales.

b. b. Lamellæ oſſis frontis, foramina oculorum a conceptaculo cerebri diſtinguentes, tenerrimæ & variis foraminibus pertuſæ.

c. c. Maxilla ſuperior verſus latus ſiniſtrum diſtorta.

d. Margo, in quo olim fuerunt alveoli, jam ferme omnes deleti.

e. e. e. Dentes molares ſuperioris & inferioris maxillæ, ſingulari ratione ſibi invicem occurrentes.

f. f. Maxilla inferior, multum ſiniſtrorſum dimota.

g. Mentum, a quo linea ſurſum producta non in medias nares incurrit, ſed in lunulam h., qua proceſſus naſalis de maxilla ſuperiori adſurgens narium aperturam anteriorem in latere ſiniſtro terminat.

i. Margo maxillæ inferioris, in quo alveoli antea fuerunt.

k. Apertura canalis, per quem ramus tertii rami quinti nervorum paris tranſit.

l. Ultimus dens molaris dexter.

m. Latus dextrum maxillæ, proceſſu ſuo libere cum ſinu oſſis temporum commiſſum, licet magis verſus anteriora dimotum.

n. Latus ſiniſtrum maxillæ.

o. Pars ipſius inferior, multum extrorſum flexa.

p. p. Proceſſus mammillares.

Fig. 2.

Fig. 2.

Idem Caput a latere dextro.

a. Sinus frontalis dexter multum prominens.

b. Maxilla ſuperior.

c. Margo, in quo olim alveoli fuerunt.

d. Dentes molares bini in ſuperiore, totidemque in inferiore maxilla, ſuperſtites, ſingulari ratione ſibi invicem occurrentes.

e. Maxilla inferior.

f. Apertura canalis, per quem ramus tertii rami quinti nervorum paris tranſit.

g. Latus dextrum maxillæ inferioris.

h. Proceſſus ipſius cum ſinu in oſſe temporum articulo commiſſus.

i. Proceſſus coronoideus.

k. Porus acuſticus.

l. Dens molaris ultimus.

m. Proceſſus mammillaris.

Fig. 3.

Idem caput a latere ſiniſtro.

a. Sinus frontalis ſiniſter multum prominens.

b. Maxilla ſuperior.

c. Margo, in quo olim alveoli fuerunt.

d. Dentes molares bini ſuperiores, totidemque inferiores, ſingulari ratione ſibi invicem occurrentes.

e. Maxilla inferior.

f. Apertura canalis, per quem ramus tertii rami quinti nervorum paris tranſit.

g. Latus ſiniſtrum maxillæ inferioris.

h. Proceſſus ipſius poſterior, maxime expanſus, & cum oſſe temporum firmiter concretus.

i. Cornu prius multum a zygomate recedens.

k. Pars inferior maxillæ multum extrorſum flexa.

l. Porus acuſticus maxime anguſtatus.

m. Proceſſus mammillaris.

n. Proceſſus ſtiliformis.

Fig. 4.

Pars ejusdem capitis, præſertim maxilla inferior, ab inferiore viſa.

a. b. c. Maxilla inferior, cujus latus dextrum multo majus latere ſiniſtro.

d. Proceſſus poſterior dexter cum oſſe temporum mobili articulo nexus.

e. e. e. e. Proceſſus poſterior ſiniſter, amplitudine inſigni notabilis, & cum oſſe temporum firmiter concretus.

f. Exo-

f. Exoſtoſis in interiore parte lateris dextri maxillæ enata.

g. Similis Exoſtoſis, minor, ex parte mento oppoſita proveniens.

h. Palatum oſſeum.

i. Septum narium.

k k. Oſſa Jugalia.

l. Margo maxillæ ſuperioris, in quo olim alveoli fuerunt.

Vide Caput VII.

Tabulae VII.

Uterus cum tumore ſcirrhoſo, parti laterali ſiniſtræ adhærente.

Fig. 1.

Uterus integer.

a. Vagina.

b. Eminentia, ex prominente ore uteri enaſcens.

c. Peritonæi, uterum integentis, hic vero ad vaginam deſinentis, pars.

d. Corpus uteri.

e. Tumor inſignis, utero adnexus.

f. f. f. f. Partes uteri lateribus adnexæ, Tubæ Fal-

 lop-

loppianæ, ligamenta lata, rotunda, ovaria, lateris ſiniſtri, obiter expreſſæ.

g. g. g. g. Partes eædem lateris dextri.

Fig. 2.

Idem uterus, ſed apertus.

a. Vagina aperta.

b. Orificium uteri diſſectum.

c. Collum hians.

d. Uteri capacitas.

e. e. Tumor, introrſum etiam prominens, & capacitatem uteri multum imminuens.

f. Tumor alius parvus, oppoſito uteri parieti adhærens.

g. g. Craſſities ſubſtantiæ uteri in collo.

h. h. Corporis uteri craſſities.

Partes laterales eædem, quæ f. f. f. f. & g. g. g. g. in Fig. 1. Vide Caput VIII.

Tabulae VIII.

Fig. 1.

Tumor utero adhærens, Tab. VII. Fig. 1. e. Fig. 2. e. e. in ſede ſua exhibitus.

Fig. 2.

Fig. 2.

Pars dimidia ejusdem tumoris, ut interior ſubſtantia appareat.

Fig. 3.

Tumor inſignis magnitudinis & duritiëi, ex parte poſteriore uteri enatus, & in binos tumores, majorem & minorem, diviſibilis.

a. Tumor major.

b. b. b. b. Superficies ipſius inæquabilis, ac tuberculata.

c. Tumor minor.

d. d. Inæqualitates hujus tumoris.

e. f. Nexus tumoris minoris cum majori.

Fig. 4.

Idem tumor, media longitudine ſectus.

a. Tumor major diſſectus.

b. b. Velamenta ipſius externa.

c. c. c. Interiora tumoris, ex plurimis particulis oſſeis, per aliam ſubſtantiam diſperſis, conſtantia.

De his vide Caput VIII.

Fig. 5.

Corpusculum cartilagineæ ferme duritiëi, nervo auditorio dextro adhærens, a parte inferiore.

a. Nervus auditorius.

b. Pars, quæ medullæ oblongatæ adhærebat.

c. Pars, quæ foramen nervi auditorii intrabat, eique firmiter adnectebatur.

d. d. d. Inæqualitates variæ hujus tumoris.

e. f. Longitudo tumoris.

Fig. 6.

Pars ſuperior ejusdem corpuſculi.

a. Nervus auditorius.

b. Pars, quæ medullæ oblongatæ adhæſit.

c. Pars, quæ penetravit in foramen nervi auditorii.

Fig. 7.

Idem corpuſculum, medio diſſectum.

a. a. a. b. b. b. Pars exterior durior.

c. c. Pars interior, ex molliori quidem ſubſtantia, ſed interſperſis particulis durioribus conſtans.

Vide de his Caput IX.

Fig. 8.

Portio inteſtinorum tenuium, meſenterio adhærens, cum principio craſſorum & appendice ex ileo enata.

a. a. a. a.

a. a. a. a. Variæ circumvolutiones inteſtini ilei.

b. Appendix, ex ileo enaſcens.

c. Cæcus hujus appendicis finis.

d. Filum, ex diverticuli apice enaſcens, illumque meſenterio adnectens.

e. e. Meſenterium.

f. Cæcum cum principio coli.

g. Appendicula Vermiformis.

Vide Caput X.

F I N I S.

INDEX CAPITUM.

I.

De rariſſimo cordis vitio. Pag. 1

II.

De cordis, valvularum, arteriæ aortæ nonnullis morbis. 38

III.

De hernia veſicæ vaginali. 55

IV.

De hernia inteſtino-vaginali, aliisque hujus morbi ſpeciebus. 67

V.

De vaſis emulgentibus, & pelvi renum. 78

VI.

De calculo renali. 86

VII.

De anchyloſi inferioris maxillæ. 96

VIII.

De tumoribus utero annexis. 106

IX.

De duro quodam corpuſculo nervo auditorio adhærente. 116

X.

De appendice ex inteſtino ileo enata. 121

Figurarum Explicatio. 126

IN-

INDEX RERUM.

Aberrationes vaſorum variæ. pag. 78 not. c.
Abortus cauſa non infrequens. 113
Anchyloſis morbus frequentiſſimus. 97
——— articulorum omnium. 97
——— coſtarum cum vertebris. 99
——— cubiti. 101
——— femoris, & oſſis innominati. 100
——— femoris & tibiæ. 102
——— femoris, tibiæ, & patellæ. 101
——— humeri & Scapulæ. 101
——— manus totius. 101
——— maxillæ inferioris. 98. 102. ſeq.
——— oſſium innominatorum cum ſacro. 100
——— oſſium pubis. 100 & not. q.
——— radii cum oſſibus carpi & metacarpi. 101
——— tibiæ & fibulæ. 101
——— tarſi oſſiculorum cum crure & metatarſo. 101
——— trunci totius. 97
——— ulnæ & radii. 101
——— vertebræ primæ cum occipite. 98
——— vertebræ primæ & ſecundæ cum capite. 98
——— vertebræ ſecundæ cum prima. 99
——— vertebrarum plurimarum. 99
——— vertebrarum cum oſſe ſacro. 99
Aneurysmata aörtæ. 4
Aneurysmatum ortus ex cauſa interna. 53
Anguſtatio aörtæ. 4
Aörtæ aneurysmaticæ dilatationes. 4. 53. Harum origo ex cauſa interna. 53
—— anguſtationes inſignes. 4. 25
—— curvatura nunc pluribus nunc paucioribus ramis originem præbet. 78. 79. not. c.
—— eroſiones. 4. 53
—— ortus ex dextro æque ac ſiniſtro ventriculo. 29. 36
—— oſſificationes. 4. 24. 25. 54
—— tumores ſteatomatoſi. 4
Appendix ex inteſtino ileo enata. 121. Ex duodeno & recto. 125

Appendices plures ex uno eodemque inteſtino. 121 not. d.
——— cauſa hujus præternaturalis conſtitutionis. 122
——— quandoque vitium hoc connatum eſt. 123. 124
Aquæ collectiones, opticum nervum comprimentes, ſæpe cæcitatem producunt. 120
—— copia inſignis pericardio contenta. 41
—— gelidæ uſus in hernia incarcerata. 73 & not. g.
Arteriæ pulmonalis anguſtatio. 23. 36. dilaceratio. 35
— — pulmonalis orificium inſigniter anguſtatum. 30
— — renales ſæpe numero variant. 82 & not. h.
— — ſubclaviæ dextræ ſingularis ortus & decurſus. 78. 79. not. c.
— — ſubclaviæ ſiniſtræ ortus ſingularis. 79. not. c.
Arterioſi canalis apertura in hominibus variæ ætatis. 34. 47
——— —— defectus. 28. 36
Articulorum omnium anchyloſis. 97
Auditorio nervo adhærens corpusculum durum. 116
Auditus difficilis vel & impoſſibilis plurimæ exiſtunt cauſæ. 116
— — organon maxime compoſitum eſt. 116
Auricularum cordis eroſiones. 3. not. e.
——— — —— expanſiones enormes. 3. not. d.
——— — —— rupturæ. 3. not. f.
Cavæ venæ laceratio. 4
Cæcitas per compreſſionem nervi optici producta. 119
Calculi figuram aſſumunt cavi, in quo creſcunt. 90. 91
— — ſigna admodum fallacia ſunt. 92. 93. ſeq.
Calculus renalis inſignis magnitudinis. 86. 87. 89. 90. 91. not. t.
——— veſicæ quandoque totum cavum adimplet. 90. 91. ib. not. p. q. r.
Canalis arterioſus apertus in hominibus variæ ætatis. 34. 47
——— ——— in fœtu plane deficiens. 28. 36
Circulus ſanguinis in adulto. 47
——— —— in fœtu. 46
Concretio cordis cum pericardio. 9. in nota. 43
——— pulmonum cum pleura & pericardio. 42. not. gg. 44. 45. 46
Cordis concretio cum pericardio. 9. in nota. 43
—— expanſiones enormes. 3. not. d. 23. 24. 25. 26. 27
—— eroſiones. 3. not. e. 41
—— morbi varii. 40. ſeq.
—— occulti hiſtoria. 44

Cor-

Cordis rupturæ. 3. not. f. 34
—— vitium rariſſimum. 10. Hiſtoria morbi infantis, qui hoc vitio laboravit. 11. Symptomatum explicatio. 20. 32. Sectio cadaveris. 26. Diſquiſitio originis mali. 33
Coronariorum vaſorum cordis inſignis diſtenſio. 27
Corpuſculum durum, nervo auditorio adhærens. 116. 117
Coſta multum emollita. 9. in nota.
Coſtarum anchyloſes cum vertebris. 99
Cubiti anchyloſis. 101
Dentium in maxillæ inferioris anchyloſi ſingularis concurſus. 103
Degenerationes valvularum cordis. 5. 22. 23. 24. 34. 49. 50
Diagnoſis morborum ſæpe difficillima eſt. 1. Maxima præſertim datur difficultas in cognoſcendis morbis pectoris. 2
Dilatatio præternaturalis cordis. 3. not. d.
—— —— venæ pulmonicæ. 4
Diverticulum ex inteſtino ileo enatum. 121. cauſæ quibus producitur. 122 quandoque ante nativitatem adeſt. 123. 124
Emeticorum uſus in variis caſibus reſtringitur. 37. 38
Emollitio coſtæ. 9. in nota
Eroſiones aörtæ. 4. 53
—— cordis. 3. not. e. 41
—— valvularum cordis. 50
Expanſiones enormes cordis. 3. not. d. 23. 24. 25. 26. 27
Femoralis hernia in viro. 72. in quoque latere in cadavere viſa. 72
Femoris oſſis anchyloſis cum innominato, tibia, patella. 100
Foraminis ovalis abſentia in neonato. 22. 47
—— —— apertura in adultis variæ ætatis. 22. 29. 47
Frontales ſinus admodum magni. 102
Genitalium internorum concretio. 67
Glaciëi uſus in hernia incarcerata. 73. not. g.
Halitus prunarum pernicioſus. 33
Hernia femoralis in viro. 72. in quoque latere viſa in cadavere viri. 72
—— inguinalis in utroque latere præſens, & inſignis magnitudinis. 70
—— inguinalis duplex in uno eodemque latere. 71. phænomeni hujus cauſa probabilis. 72
—— inteſtino-vaginalis. 65. Obſervata in cadavere. 66 hiſtoria harum herniarum 68. cauſæ, ſigna, effectus 69. cura. 70
—— Littrii. 121

Hernia umbilicalis in fœtu. 72. 73. in vetula. 74. Sectio cadaveris. 74. Saccus hernioſus, a peritonæo formatus, in hac hernia adeſt. 75. Refutatur aliter ſentientium opinio. 76. 77
—— veſicæ vaginalis. 55. hujus ortus. 57. cauſæ. 61 ſigna. 61. cura. 62. obſervatio hujus morbi. 58. ſymptomata, illam concomitantia. 58. 59. cura 60
Heurnii, Johannis, morbus, mors, cadaveris ſectio. 94. 95. 96
Hiſtoria morbi & mortis infantis, qui rariſſimo cordis vitio laboravit. 11 ſeq.
Humeri & Scapulæ anchyloſis. 101
Hydatides, opticum nervum comprimentes, cæcitatem adduxerunt. 119
Hydrops pericardii. 40
Ilei inteſtini appendices. 121
Iliaca paſſio ex conſtrictione inteſtini per ſpeciem funiculi factæ. 124. not. p.
Inflammatio uteri in puerperio ſæpe in ſcirrhum tranſit. 114
Innominatorum oſſium anchyloſis cum ſacro & femore. 100
Inteſtino-vaginalis herniæ. 65. Vid. Hernia.
Jugularium venarum undatio. 20. & not. y.
Laceratio venæ cavæ. 4
Lapides compreſſione in nervum opticum amauroſin produxerunt. 120
Ligamentorum uteri diverſa longitudo. 107
Liquor pericardii vario modo degenerat. 43
Littrii Hernia. 121
Manus totius anchyloſis. 101
Maxillæ inferioris anchyloſis. 98. 102 ſeq.
Medicatrices naturæ humanæ vires. 39
Metacarpi & metatarſi oſſiculorum anchyloſis. 101
Morbi cordis varii. 40 ſeq.
Morborum diagnoſis ſæpe difficillima eſt. 1
———— incurabilium deſcriptio utiliſſima habetur. 8
———— numerus & natura multiplex. 1. 2. 5. 6
Naturæ humanæ vires medicatrices. 39
Nervorum compreſſio uſum illorum inhibet. 118. 119
Nivis uſus in hernia incarcerata. 73. not. g.
Obſtetricis rudior opera ſæpe ſcirrhum producit. 114
Occipitis oſſis anchyloſis cum vertebra prima. 98. cum binis ſuperioribus vertebris. 98
Œſophagi ruptura. 5

Opticorum nervorum compreſſio cæcitatem adducit. 119. 120
Oſſificatio aörtæ. 4. 24. 55. valvularum ipſius. 49
—— — valvularum orificii venoſi cordis ſiniſtri. 23. 24
Oſſium emollitio. 96. not. b.
—— uſus. 96
Ovalis foraminis abſentia in neonato. 22. 37
———— — apertura in hominibus variæ ætatis. 22. 29. 47
Palpitatio cordis vehemens. 14. 23. 24. ſeq.
Paralyſis cauſa frequentiſſima. 119
Partus difficilis cauſa aliquoties obſervata. 113
—— impoſſibilis ob tumorem, pelvim maxime anguſtantem. 63
Pectoris morbi ſæpe difficillime cognoſcuntur. 2. fallunt quandoque principes in arte viros. 2. 6. not. s. homines ſæpe inopinata morte abripiunt. 3. numerus eorum inſignis. 6
Pelvis pars inferior herniis locum præbere poteſt. 55
—— renis ſingulari modo ſitus. 83. 84. 85. 86
Pericardii concretio cum corde. 9. in nota. 43
——— hydrops. 40. 41
——— liquor vario modo degenerat. 43
Pericardium multo ſero repletum. 24
Peritonæi habitus in pelvi. 56
——— prolongatio vaginalem teſtis tunicam formans. 71. quandoque in adulto homine aperta. 72
Peſſarium optimum adverſus hernias inteſtino-vaginales. 69. & veſicæ vaginales. 60. 62. remedium.
Polypi in corde inventi. 24
Profuſio ſanguinis in cava, ruptis aneurysmatibus. 5
——— ——— — pericardium eroſo corde. 42
Prunarum halitus pernicioſus. 33
Pubis oſſium anchyloſis. 100. & not. q.
Pulmonalis arteriæ anguſtatio 23. 31. 36
———— venæ contractio inſignis. 23
———— —— dilatatio monſtroſa. 4
Pulmonum concretio cum partibus vicinis. 9. in nota. 42. not. gg. 44. 45. 46
———— ſtatus ſingularis & morboſus. 9. in nota. 25
———— uſu carere nemo valet, etiamſi circulatio per reliquum corpus vigeat. 35

Radii & ulnæ anchyloſis, ejusdemque oſſis cum oſſibus carpi & metacarpi cohæſio. 101
Renalium vaſorum aberrationes variæ. 80. 81. ſeq.
Renes a naturali forma recedentes. 80
Reſpirationis facilitas, licet omnes partes, thorace contentæ, miro modo eſſent concretæ. 46
——— difficultate laborantium varii caſus. 6. not. a. 10. 21. ſeq.
Ruptura œſophagi. 5
——— cordis. 3. not. f.
——— uteri. 63. 114
Sacri oſſis anchyloſis cum innominatis. 100
Sanguinis circulus in adulto homine & fœtu. 46. 47
——— extravaſatio cæcitatis cauſa. 119
——— profuſiones in cava, ruptis aneurysmatibus. 5. in pericardium, eroſo corde. 42.
Sarcomata, utero adnexa. 111
Scapulæ & humeri anchyloſis. 101
Schirroſi tumores utero adhærentes. 107. 108. 112
Sinus frontales admodum magni. 102
——— ſphænoidalis unicus. 103
Speculationum theoreticarum fallacia. 39
Spongiæ, inſtar peſſarii adhibitæ, noxæ. 63
Steatomata aörtæ. 4
——— cerebri cæcitatis & ſurditatis cauſæ. 120
——— utero adnata. 111
Sterilitatis cauſa non infrequens. 113. 114
Subclaviæ arteriæ, dextræ & ſiniſtræ, ſingularis ortus. 78. 79. not. c.
Submerſionis vel ſuffocationis periculo immunes non ſunt, quibus foramen ovale apertum eſt. 48
Surditatis cauſæ plurimæ indagatu difficiles ſunt. 116
Tarſi oſſiculorum anchyloſis cum crure & metatarſo. 101
Teſtium in fœtu ex abdomine in ſcrotum deſcenſus. 71
Theoreticarum ſpeculationum fallacia. 39
Tibiæ anchyloſis cum femore, patella, fibula. 101
Tranſpoſitionis viſcerum varia exempla. 39. not. a.
Trunci totius anchyloſis. 97
Tumor inſignis, inter vaginam & inteſtinum rectum hærens, pelvim ſic coarctans, ut partus impoſſibilis eſſet. 63
Tumo-

Tumores ſteatomatosi aörtæ. 4
——— viſcera thoracica maxime comprimentes. 5
——— utero annexi. 106. 107. 108. 112. not. c. horum frequens cauſa. 114. ſymptomata. 114. peſſimus exitus. 115
Tunicæ arteriarum. 53. earum eroſiones. 4. 53
—— vaginalis teſtis ortus. 71
Ulnæ & radii anchyloſis. 101
Umbilicalis hernia. 72. 73. Vid. Hernia.
Uteri ſitus naturalis in pelvi. 56
——— obliquus ex variis cauſis. 107
Uterus disruptus in partu. 63. 114
—— induratus conceptui obſtat. 113
—— infinitarum ærumnarum cauſa. 106
Vaginalis tunicæ teſtis ortus. 71
Valvularum cordis degenerationes variæ. 5. 22. 23. 24. 34. 49. 50
Vaſorum aberrationes. 78. not. e.
——— coronariorum cordis inſignis diſtenſio. 27
Venæ cavæ laceratio. 4
—— pulmonalis contractio inſignis. 23
—— ——— dilatatio monſtroſa. 4
—— renalis ſiniſtræ peculiaris decurſus. 80. 81. & not. f.
Ventriculi dextri cordis communicatio cum aörta. 29. 30. ſeq. 36
Ventriculorum cordis eroſiones. 3. not. e.
——— ——— expanſiones. 3. not. d. 23. 24. 25. 34
——— ——— rupturæ. 3. not. f. 94
Vertebrarum anchyloſes inter ſe & cum aliis oſſibus. 98. 99
Veſicæ urinariæ hernia in vagina. 55. 58. 63. 64
—— —— ſitus in pelvi. 56
Viſcerum transpoſitionis exempla. 39. not. a.
Vitium rariſſimum cordis. 20
Vomica purulenta. 9. in nota.
Vomitus effectus. 38
Vomitoriorum uſus in multis caſibus reſtringitur. 38

FINIS.

BIBLIOPEGO.


Tabulæ omnes pone indicem rerum collocandæ, ſic ut Tab. I. huic paginæ opponatur.

AAN DEN BOEKBINDER.

Alle de plaaten moeten agter den bladwyzer der zaaken geplaatſt worden, zoo dat Tab. I. tegen over deeze zyde kome.



R. Muys, ſculps.



R. Muys. ſculps.

Fig. 1.



Fig. 2.



Fig. 3.




Fig. 4.



Fig. 5.



Fig. 6.




Fig. 9.




Fig. 7.





Fig. 8.



R. Muys, ſculps.

Tab. IV.



R. Muys, ſculps.

Fig. 1




Fig. 3.



Fig. 4.




Fig. 2.



R. Muys. sculps.

Fig. 1.





Fig. 2.



Fig. 3.



Fig. 4.



N. Muis, delin. R. Muis, sculps.

Fig. 1.





Fig. 2.



J.J. Bylaert, delin. R. Muis, ſculps.



Bylaert. delin.

R. Muis. ſculps